„ *b.*	„ 178	„	„	„ XI	„	XII
„ *c.*	„ 238	„	„	„ XIV	„	XXIII
„ *d.*	„ 198	„	„	„ XXIV	„	XXV

Textus Javanicus nonnullis locis atramento corrosus est.

LX. Codex charta Belgica, in fol., foll. 261, satis bene exaratus, non vero ea cura, quae in codicibus praecedentibus conscribendis posita est. Continet commentarium (vel potius glossas) in opus praecedens, cui commentario titulus est: جمالان الجلالين *h. e.* „pulchritudo operis Tafsîr al-Djalâlain." Post Bismillam codex incipit: الحمد لله ذي الجلال والجمال والكمال الخ. Hâdjdjî Chalîfat (II pag. 359) ut auctorem laudat Nûr ad-dîn 'Alî ibn Soltân Mohammad al-Qârî Meccanum, mortuum A. H. 1010, cujus tamen auctoris nomen desideratur in nostro codice. In fine tantum legitur librarium fuisse quemdam Tafîn (تفين) ibn Mohammad at-Tâher, qui opus suum perfecit die quarto men-

sis Dsû l-Hidjdjat A. H. 1178, et dedicavit principi Bantènensi Pangêran Ratû Abû l-Mofâchir Moḥammad 'Alî ad-dîn.

LXI *a—c*. Codex charta Belgica, in fol. majori, tribus voluminibus constans. Bene exaratus, et magna ex parte versione Javanica interlineari munitus est, quum etiam vocalium signa omnia adsunt. Continet partem commentarii in Qorânum, cui titulus est معالم التنزيل h. e. „dogmata revelationis", auctore Imâmo Moḥjî as-Sonnat abû Mohammad Ḥosain ibn Mas'ûd al-Ferrâ al-Baghawî, Sjâfeïta, mortuo A. H. 516, quam ob rem liber vulgo „Tafsîr al-Baghawî" appellatur. Cf. Ḥâdjdjî Chalîfat II p. 356 et V p. 611. Singula volumina continent:

a. foll. 243,	Qorâni S.	XV:	42: —	XXI: 12
b. „ 210,	„ „	XXVII:	48: —	XXXV: 29
c. „ 305,	„ „	XLVI:	14: —	LXIV: 14

Volumen *a* paullum a tineis perforatum est, sine tamen textus damno; item volumen *c*, quorum voluminum ultima folia atramento corrosa sunt.

Anni annotatio et titulus desunt; auctoris nomen manu recentiori in involucris conscriptum est.

LXII. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 208. Continet commentarium in Qorânum, cui titulus est: تفسير الاسرار h. e. „Explicatio arcanorum." Commentarius in uno volumine constat septem partibus, quarum singulae complectuntur: Qor. II: 175— Qor. V: 47; V: 48—IX: 27; IX: 28—XII: 99; XII: 100— XVII: 87; XIX: 79—XXVIII; XXIX—L: 1; et L: 2—CXIV. Jncipit بسم الله الرحمان الرحيم الصادقون في طلب مرضات الخ Jn fine legitur A. H. 1196, nulla mentione auctoris facta. Liber non laudatur a Ḥâdjdjî Chalîfat, neque apparet quam ob rem in eo desideratur explicatio Qor. I—II: 174 et XVII: 88—XIX: 78.

LXIII *a—g*. Codex charta Belgica, in fol. majori, septem voluminibus constans, quorum singula singulas partes operis: تفسير الاسرار continent. Jn fine omnium voluminum legitur A. H. 1131, plerumque adjecto librarii nomine. Jn fine voluminis *b* annotatum est, codicem in urbe Bantèn conscriptum esse. Totus codex vocalium signis et versione Javanica interlineari instructus est. Jn voluminibus *a* et *c* textus Arabicus atramento corrosus est, versione Javanica tamen majore ex parte servata; in voluminibus *b* et *e* eadem de causa versio Javanica excidit et textus servatus est. Volumen *d* multis locis a tineis perforatum est. Singula volumina continent foll. *a*. 262; *b*. 292; *c*. 227; *d*. 262; *e*. 226; *f*. 242. et *g*. 227. Etiam in hoc codice desideratur explicatio ejusdem Qorâni partis, quae in codice praecedenti deëst.

LXIV. Codex charta orientali, in 8° majori, foll. 82, bene exaratus, non vero ea cura, quae in duobus codicibus praecedentibus conscribendis adhibita est. Continet opus, cui titulus est: المطلب h. e. „finis," auctore 'Abd ar-Rahmân al-Jmthâlî, qui in hoc libro, ordine alphabetico, disserit de variis litterarum positionibus, quae in Qorâno occurunt, nec non de capitibus (سورة) vocabulisque, quae diversis litteris exordiuntur. Neque auctor neque liber a Hâdjdjî Chalîfat commemoratur, quum in codice anni annotatio deëst. Post Bismillam incipit: الحمد لله الذي انزل الكتاب المبين وجعله هدي الخ

LXV. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 110, manu Jndica, ut videtur, exaratus. Continet:

a). تيسير لحفظ مذاهب القرآء السبعة رح h. e. „adjumentum memoriae mandandi doctrinas septem Qorâni lectorum," auctore Jmâmo Abû 'Amr 'Othmân ibn Sa'îd

ibn 'Othmân ad-Dânî, mortuo A. H. 444. Liber incipit post Bismillam: الحمد لله المنفرد بالدوام الخ, et laudatur a Ḥ. Ch. II. p. 487. seq.

b.) Tractatum sine titulo, de arte Qorâni critica (علم القرآءة) Deëst Bismilla, incipit autem الفصل الاول في كيفية نزول القران العظيم روي واثله عن رسول الله صلعم قال انزل الله الخ. Jn secunda pagina legitur: الفصل الثاني في الحد (1) الحرف واكمله (2) الخ.

Auctoris nomen et anni annotatio desunt.

---

(1) Lege: الحاد

(2) Lege: اكماله

PRECES, ORATIONES SACRAE, ETC.

LXVI. Codex charta Belgica, in fol., foll. 102, currenti calamo et negligenter exaratus, quam ob rem, nec non ob multorum punctorum diacriticorum defectum, lectu difficillimus est. Continet orationes sacras (خطبة), preces (دعآء), incantamenta (عزيمة) et tabulas, quas pro parte magicas pro parte astronomicas esse suspicor. Accedunt:

1) folio VII v. seqq: اعانة الراغبين في الصلوة والسلام على سيدنا محمد افضل المرسلين h. e. „Auxilium eorum, qui in meditatione vivunt, precibus dicendis pro domino nostro Mohammad, praestantissimo Dei legatorum", tractatus, cujus argumentum titulus ipse prodit, continet enim, post aliqua praecepta, nihil aliud quam centum preces pro Mohammad dicendas. Incipit post Bismillam: الحمد لله ذي الجلال والاكرام الخ Ut auctor laudatur quidam Sîdî 'Abd as-Salâm ibn Mothain (مثين), mihi ignotus.

2) folio XXXIIv. seqq. tractatus sine titulo et auctoris nomine de variis modis (sc. magicis) curandi morbos.

3) folia LIIIv. seqq. tractatus sine titulo et auctoris nomine de horis diei et de ortu solis.

Anni annotationem in codice non inveni.

LXVII. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 15, bene exaratus, vocaliumque signis instructus. Nonnulla folia sordent frequenti usu lectorum.

Continet invocationes Dei et prophetae, praecipuè ejus generis, quod a Malaïs et Javanis „dsikir Maûlûd" appellatur, quae invocationes pro parte versibus scriptae

sunt, pro parte vero oratione soluta. Anni annotatio in codice deëst; in fine tantum legitur codicem e libris esse Sultâni Bantènensis Abû l-Mofâchir Mohammad 'Alî ad-dîn.

LXVIII. Codex charta Belgica, in 8°, foll. 20, bene exaratus et vocalium signis instructus. Multa folia sicut in codice praecedenti, frequenti usu lectorum, sordent. Continet easdem invocationes Dei et prophetae, quae in codice praecedenti occurrunt. Jn involucro scriptum est nomen ejusdem Sultâni Bantènensis, et in fine A. H. 1218, alia vero manu.

LXIX. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 100, bene exaratus et vocalium signis munitus. Continet preces (دعآء) et invocationes (ذكر) Dei et prophetae, quae invocationes ejus generis sunt, quae in mense „Bĕsar" (Dsû l–Hidjdjat) recitantur, quibusque ea de causa „dsikir Bĕsar" nomen est. Majori ex parte hae invocationes eaedem sunt, quae in codicibus duobus praecedentibus leguntur, adjectir tantum paucis aliis. Jn prima pagina notatur codicem e libris esse Sultâni Bantènensis Abû l-Mofâchir Mohammad 'Alî ad-dîn, filii Sultâni Mohammad 'Ârif Zain al-'Âsjiqîn, adjecto A. H. 1216.

LXX. Codex charta Belgica, in 4° minori, foll. 221, nitide exaratus et vocalium signis munitus. Continet omnes invocationes, quae in codice praecedenti leguntur cum quibusdam aliis ejusdem tenoris. Neque anni annotationem, neque librarii aut possessoris nomen in codice inveni.

LXXI. Codex charta Belgica, in 12°, foll. 38. Continet invocationes ad „dsikir Maûlûd" pertinentes. Anni annotatio deëst.

LXXII. Codex charta Belgica, in 12°, foll. 39. Ejusdem generis invocationes continet.

LXXIII. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 50, bene exaratus et vocalium signis munitus. Continet preces (دعآء) et invocationes, quae etiam in codicibus praecedentibus occurrunt. Priora folia codicis deësse videntur; incipit enim hisce verbis: ثم يقرون من والضحي (1) الي السورة التي مناوية الي الاحلاص (2) الخ .

Codex incerti aevi, sed e libris est Sultâni Bantènensis Abû l-Mofâchir 'Alî ad-dîn.

LXXIV. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 127. Vocalium signis est munitus, sed in marginibus a tineis est perforatus, sine tamen textus damno. Continet orationes sacras (خطبة), singulis diebus Veneris (يوم الجماعة), in templo (مسجد) habendas. Jn Archipelago Jndico perpauci sunt antistites Mohammedanorum linguae Arabicae satis periti, ut orationem sacram habere possint; idcirco utuntur libris, majore ex parte ex Aegypto (مصر) oriundis, qui in usum omnium dierum festorum anni Mohammedani, orationes sacras continent. Codicis nostri auctor in fine dicitur fuisse quidam Mohammad ibn Hasan ibn Hasan al-Kâlîkûqî (3), qui opus suum perfecit A. H. 1153. Codex glossis abundat, et in involucro multae annotationes leguntur, quae ab ipsius libri argumento sunt alienae.

LXXV. Codex charta Belgica, in 8°, foll. 6. Titulus: هذا مولود النبي صلعم الذي يقراء في المسجد الحرام تاليف العارف بالله مولانا الشيخ ابراهيم الرئيس الزمزمي المكي مفتي الشافعي رضي الله عنه

(1) Qor. XCIII: 1.

(2) L.: الاخلاص. Qor. CXII.

(3) الكاليكوقي, l.: الكاليكوتي, h. e. oriundus ex urbe Calicut, in Peninsula Indica citra Gangem.

Continet orationem sacram de ortu prophetae, quam in templo Mekkano habuit sjaichus Ibrâhîm ar-Raîs az-Zamzamî, Mekkanus, Muftî Sjâfeïtarum. Jncipit: حمدا لمن اطلع نور الدرّة الخ etc. et in ultimo folio scriptum est, codicem exaratum esse in urbe Maskat, A. H. 1201, manu cujusdam Hâdjdjî 'Abd ar-Rahmân ibn asj-Sjarâfat al-Bandjârî, qui addidit etiam precationem (دعآء) post. librum lectum recitandam.

LAUDATORES PROPHETAE; TRADITIONARII.

LXXVI. Codex spissus charta Belgica, in fol. majori, foll. 357, optime exaratus, et vocalium signis omnibus instructus. Continet opus, in toto Oriente celeberimum, cui titulus est: تنبيه الآنام في بيان علوّ مقام نبينا شفاء الاسقام ومحو آثام في الصلاة s.: محمد عليه الصلاة والسلام علي خير الانام h. e. „Adhortatio hominum laudatione excelsi prophetae nostri Mohammad", sive: „Medicina morborum et obliteramentum peccatorum precibus pro optimo mortalium dicendis." Auctor est 'Abd al-Djalîl ibn Mohammad ibn Ahmad ibn Hatûm al-Morâdî al-Qairawânî. Liber laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat II p. 425 seq., et incipit: الحمد لله الذي زين سمآء الاذكار الخ. Continet eximias prae ommibus preces in laudem prophetae opinione virorum pietate insignium.

LXXVII. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 271, bene exaratus sed a tineis perforatus. Continet idem opus quod codex praecedens.

Jn fine legitur A. H. 1044.

LXXVIII. Codex charta Belgica, in fol. majori, foll. 19, magna cura exaratus et vocalium signis instructus. Continet opus notissimum, cui titulus est: دلايل الخيرات وشوارق الانوار في ذكر الصلاة علي النبي المختار صلعم h. e.; „Expositio honestatis et lumina splendentia in precibus pro electo propheta dicendis," auctore sjaicho Abû 'Abd Allâh

Mohammad ibn Solaimân al-Djozûlî, mortuo A. H. 870. Continet preces in laudem prophetae habendas, quibus accedunt: laudatio omnium ejus nominum honorificorum, descriptio sepulcri sacri, et allegatio multorum prophetae effatorum et factorum e traditione comitum (اصحاب) nobilissimorum, etc.; in fine invenitur precatio (دعآء) post librum perlectum recitanda. Opus laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat III p. 235 seq., et incipit: الحمد لله الذي هدانا للايمان والاسلام الخ Codex anni annotatione caret.

LXXIX. Codex charta Belgica, in fol. majori, foll. 23, idem opus continens, et eodem modo exaratus.

Primum folium, praesertim in margine, a tineis perforatum est.

LXXX. Codex charta Belgica, in fol. majori, foll. 19, idem opus continens.

LXXXI. Codex charta Belgica, in fol. majori, foll. 16; idem opus continens.

Hi quator codices eadem manu atque eodem fere tempore exarati esse videntur.

LXXXII *a* et *b*. Codex charta Belgica, in 4°, constans duobus voluminibus, quorum primum complectitur foll. 294 et alterum foll. 249. Adsunt vocalium signa onmia et versio perpetua interlinearis in linguam Javanicam. Continet in opus praecedens commentarium (شرح), cui titulus est: تفريج الكرب والمهمات h. e. „Res, qua tristitia et sollicitudo removentur," auctore 'Abd al- Mo'tî, ibn Sâlim ibn 'Omar asj-Sjobkî as-Samlâwî, oriundo ex urbe Miçr. Incipit post Bismillam: الحمد لله الذي جعل الصلاة علي نبينا الخ Jn volumine primo nonnulla folia atramento corrosa sunt.

Anni annotatio in codice non invenitur; in fine utriusque voluminis legitur codicem e libris esse Sultâni Bantènensis Abû n-Naçr Mohammad 'Ârif Zain al-'Âsjiqîn.

LXXXIII. Codex charta Belgica, in 8° majori, foll. 87, cujus tamen textus atramento corrosus majore ex parte deperditus est. Continet incertorum auctorum:

1) Carmen in laudem prophetae, instructum versione Javanica interlineari, pessimo sermone Arabico conscriptum, neglectis hîc-illic prosodiae regulis. Incipit:

بسم الله الرحمان الرحيم   الحمد لله ربّ جميع العالم
هو الرحمان هو الرحيم   ذو الامور في اليوم العظيم
واك نستعين بعنايتك   واهدنا صراط الذي انعمتك

etc.

2) Carmen lingua Malaïca, ejusdem argumenti, continens praecipuè explicationem nominum honorificum prophetae.

Reliqua folia codicis carmina et tractatus diversos continere videntur, sed prorsus legi nequeunt, charta atramento corossa.

Jn prima pagina leguntur nomina cujusdam Ratû Rahmat et Sultâni Bantènensis Abû l-Fath Mohammad Zain al-'Ârifîn, qui Sultanus regno potitus est A. H. 1087. (cf. Codex XLV/$_2$).

LXXXIV. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 86, bene exaratus et vocalium signis munitus.

Continet carmen in laudem prophetae, conceptum metro, quod Arabes „longum" (الطويل) appellant. Jncipit post Bismillam:

بدائت بذكر الله مدحا مقدّما
واثني بحمد لله شكرا معظّما

Titulus, nomen auctoris et anni annotatio desunt.

LXXXV. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 123, bene exaratus. Jn nonnullis foliis atramentum chartam corrodere incipit. Continet partem operis celeber-

rimi, cui titulus est: نهاية غريب الحديث والاثار h. e.: „Ultimus terminus scientiae verborum inusitatiorum, quae in traditionibus prophetae leguntur," auctore Madjad ad-dîn Abû as-Sa"âdât al-Mobârek ibn Mohammad ibn al-Athîr al-Djazîrî, Sjâfeîta, mortuo A. H. 606. De origine libri, aeque ac de commentariis in eum conscriptis cf. Hâdjdjî Chalîfat VI pag. 403. Incipit post Bismillam احمد الله علي نعمه بجميع محامده الخ Ultimum vocabulum, cujus in nostro codice explicatio in venitur, est vocabulum خلط.

Anni annotatio in codice deëst.

LXXXVI. Codex charta orientali, in 4⁰ minori, foll. 205. Continet incerti auctoris commentarium in opus quoddam de scientia traditionum (علم الحديث). Primum folium cum titulo deëst (1), incipit:

ان ينفع به ويجعله خالصا لوجهه واروها وشرحها دراية ورواية عن مشائخ الاسلام الشهاب احمد بن علي بن حجر العسقلاني والشمس محمد بن علي القياتي الشافعيين والكمال محمد بن الهرام الحنفي برواية الاول لها عن مولفهما والثاني عن ابن مولفهما شيخ الاسلام ابن ابي زرعة ولي الدين والثالث عنه وعن الامام السراج قاري الي ..... (2) عن مولفهما وحيث اطلقت شيخنا ومرادي به الاول قال المولف بسم الله الرحمان الرحيم اي اولف والاسم مشتق من السمو الخ

Post doxologiam legitur: من بعد حمد الله الشامل للبسملة الخ Sjaichus Abû sive Ibn abî Zor'at, cognominatus Walî ad-dîn et mortuus A. H. 820, celeberrimus

(1) In calce legitur: فتح الباقي. Apud H. Ch. IV p. 371 ejusdem tituli liber laudatur, in quo tamen de grammatica agitur.

(2) Hoc loco unum vocabulum legi nequit ob foramen a tinea factum.

fuit traditionarius, cujus multa opera apud Ḥâdjdjî Chalîfat laudantur (1); etiam Sjihâb ad-dîn ibn Ḥadjr al-'Asqalânî, mortuus A. H. 852 (2). Ex annotatione in fine libri apparet, commentarium esse conscriptum A. H. 896, quum codex noster A. H. 1018 exaratus est, manu cujusdam Mûsâ al-Kafarâwî ad-Danûhî. Apud Ḥâdjdjî Chalîfat I pag. 291 etiam commemoratur opus de traditionibus in quod et Abû Zor'at et Ibn Ḥadjr commentarium conscripsit. Fortasse idem est quod nostro codice continetur.

Codex a tineis paullum perforatus est, sine tamen magno textus damno. Nonnulla folia, atramento corrosa, aut prorsus legi nequeunt aut saltem lectu sunt difficillima.

LXXXVII. Codex charta orientali, foll. 33, in 4° minori, a tineis perforatus. Continet opus cui titulus est: الاقوال السنّيّة h. e. „Sententiae nonnullae, quae sunt in Sonnat," sive glossae additae commentario in opus غاية الرفع h. e.: „Summa altitudo" appellatum, auctore quodam 'Aṭâ Allâh ibn Aḥmad ibn 'Aṭâ Allâh ibn Aḥmad. Incipit: الحمد لله الذي وضع لكل شيء سببا الخ Codex noster est conscriptus A. H. 1179 in urbe Mekkat.

LXXXVIII. Codex spissus, charta Belgica, in 4° minori, foll. 381, a tineis perforatus. Textus atramento corrosus majori ex parte deperditus est.

Continet opus celeberrimum, cui titulus est: رياض الصالحين h. e.: „Viridaria sanctorum," auctore Imâmo Moḥjî ad-dîn Abû Zakarjâ Jaḥjâ ibn Sjaraf an-Nawawî, mortuo A. H. 676. Est opus dispositum in CCLXV capita et delectum continet earum traditionum, quae „verae" (صحيح)

(1) Cf. Ḥ. Ch. VII p. 1246; N°. 9087.

(2) Cf. Ḥ. Ch. VII p. 1227; N°. 8412.

appellantur. Opus laudatur apud Ḥâdjdjî Chalîfat III p. 518 seq., et codex noster exaratus est A. H. 1137.

In primo et in ultimo folio codicis quaedam alia scripta sunt, quae tamen ad libri argumentum non attinent.

HISTORIAE SANCTORUM SCRIPTORES.

LXXXIX. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 364, a tineis perforatus. Continet opus, cui titulus est: روض الرياحين في حكايات الصالحين sive: نزهة العيون النواظر وتحفة القلوب الخواطر h. e.: „hortus herbarum odoratarum de historiis sanctorum," sive: „oblectamentum oculorum et donum cordium", auctore 'Abd Allâh ibn As'ad al-Jâfi'î al-Jamanî, mortuo A. H. 768. Post Bismillam incipit: الحمد لله المعروف بالمعروف الموصوف بالكمال الخ Jn fine adnotatur codicem conscriptum esse A. H. 1013 manu cujusdam Hasan ibn Ibrâhîm 'Alî ibn Mohammad al-Harûrî al-'Amânî, Sjâfeïtae. Opus commemoratur apud Hâdjdjî Chalîfat III p. 488 et VI p. 329. Titulus prodit argumentum, continet enim opus historias praecipuorum sanctorum Mohammedanorum.

XC. Codex spissus, charta Belgica, in 4° minori, foll. 390. Continet opus cui titulus est: حكايات الصالحين h. e. „historiae sanctorum." Incipit post Bismillam: الحمد لله ربّ العالمين والعاقبة للمتّقين الخ, et distributum est in XX capita, quorum singula X historias complectuntur, quorumque argumenta in initio operis exposita sunt eo modo: الباب الاول في استبرآء القوت والاجتباب (1) عن (2) الشبهات

(1) L.: اجتناب sicut in codice sequenti. Hanc veram esse lectionem manifeste apparet ex versione Javanica interlineari, quae: أندوهي habet.

(2) In cod. sequenti omissum.

الباب الثاني في رياضة النفس الباب الثالث في المجاهدات والعبادات الباب الرابع في خشية الله والبكآء الباب الخامس في حفظ اللسان وترك الاذي الباب السادس في التائبين وسبب توبتهم الباب السابع في كرامات (1) الاوليآء والاتقيآء الباب الثامن في قبول دعآء الصالحين وسرعته الباب التاسع في نيات الصالحين واخبارهم الباب العاشر في التوكل علي الله وعدم الخوف الباب الحادي عشر في ذكر سخاوت (2) الاوليآء الباب الثاني عشر في زهد الامرآء وورعهم الباب الثالث عشر في زهد النسآء الباب الرابع عشر في طاعة الصبيان كراماتهم الباب الخامس عشر في ورع العبيد الباب السادس عشر في حكاياة (3) الضعفآء والفقرآء الباب السابع عشر في حكايات الاضطرار وافاقه (4) الباب الثامن عشر (5) في وقات (6) الاوليآء والاتقيآء الباب التاسع عشر في ذكر الصالحين الباب العشرون في حكايات متفرقة

Auctoris nomen in codice non inveni; in fine tantum legitur A. H. 1142. Apud Hâdjdjî Chalîfat (III p. 81) commemoratur liber, cui idem titulus idemque argumentum est, sed persice conscriptus a sjaicho 'Othmân ibn 'Omar al-Kahf. Fortasse codex noster versionem Arabicam hujus libri persici continet.

Codex bene est exaratus, et versione Javanica interlineari instructus; in fine accedunt aliquae preces (دعآء).

---

(1) In cod. sequenti: كرامة.

(2) „ „ „ : السحاوة; l.: سخاوة.

(3) L.: حكايات, cum codice sequenti.

(4) L.: وافاته, „ „ „

(5) Omissum in cod. sequenti.

(6) In cod. sequenti: وفات; l. وفاة.

Atramento corrosa multa folia lectu sunt difficillima, alia vero prorsus legi nequeunt.

XCI. Codex spissus, charta Belgica, in 4° minori, foll. 313, bene exaratus, vocalium signis et versione interlineari in linguam Javanicam munitus. Textus tamen corruptus est, quia charta et atramento corrosa, et a tineis perforata est. Est aliud exemplar operis حكايات الصالحين, cui deëst pars ultima capitis vicesimi. In primo et in ultimo folio codicis leguntur nonnulla verba, quae exercendi causa scripta esse videntur. Annus non notatur in codice.

XCII *a* et *b*. Codex charta Belgica, in fol. minori, duobus voluminibus constans, quorum primum 40 et alterum 22 folia habet. Continet incerti auctoris opus, cui titulus est: المناقب الصادقة في الكرامات الخارقة h. e. „Laudatio vera miraculorum egregiorum" sc. cujusdam viri sancti al-Fâdhil al-Habîb 'Omar ibn 'Alî, oriundi e regione Hadhramaut. In fine legitur librum conscriptum esse A. H. 1267, in insula Java, ut mihi videtur, tam ob nomina urbium Tjirebon et Indramâjû, quae frequenter occurrunt, quam ob sermonem Arabicum sordidissimum, intermixtis multis vocabulis Malaïcis et Javanicis. Miracula nullius momenti narrantur, adjectis interdum nominibus virorum, quorum auctoritate scriptor nititur, et qui fere omnes oriundi sunt e gentibus Arabicis, olim in insulam Javam transgressis. In utroque volumine eadem est doxologia, et majori ex parte eadem miracula narrantur. In fine utriusque voluminis legitur carmen in laudem viri sancti supra laudati et in involucro voluminis secundi, litteris Latinis: „inie boekoe darie Kramat."

XCIII. Codex charta Belgica, in 4° minori, foll. 208,

bene exaratus et majori ex parte vocalium signis et versione Javanica interlineari instructus. Continet incerti auctoris compendium (1) operis, cui titulus est: خلاصة المفاخر h. e. „selectio insignium rerum gestarum" sc. sjaichi Mohjî ad-dîn 'Abd al-Qâdir ejusque aequalium, auctore 'Abd Allâh ibn As'ad al-Jâfi'î al-Jamanî (2). Sjaichi C historiae narrantur, sed pars, quae continet historias aequalium ejus, desinit in medio historiae quartae decimae. Annus in codice non notatur. Incipit opus: الحمد لله الذي اكرم اوليآئه الخ, et laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat III p. 166 seq.

XCIV. Codex charta orientali, in 4° minori, fol. 180. Continet opus cui titulus: تنبيه المغترين في القرن العاشر على ما خالفوا فيه سلفهم الطاهر h. e.: „hominum incuriosorum seculi decimi admonitio ad ea in quibus sancti majores ab iis discrepant," auctore 'Abd al-Wahhâb ibn 'Alî asj-Sja'rânî, mortuo A. H. 960. Titulus respondet argumento, continet enim opus majori ex parte historias prophetae ejusque comitum, comparatione instituta cum iis, quae in auctoris seculo occurrebant. Incipit: احمد الله ربّ العالمين واصلي الخ.

Codex noster exaratus est A. H. 1009; ipsum opus laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat II p. 429.

XCV. Codex charta orientali, foll. 216, in 8° majori, exaratus A. H. 1104 manu cujusdam Moçtafâ ibn Ibrâhîm ad-Damasjqî, et a tineis paullum perforatus. Titulus est: بهجة الاسرار ومعدن الانوار h. e. „pulchritudo arcanorum et fodina luminum," auctore Ahmad ibn Ma'dhâd, incertae aetatis. Continet dicta et facta nonnullorum sjaichorum pie-

(1) Pag. 5: انتخبته من كتاب خلاصة المفاخر.

(2) Teste H. Ch. h. l. mortuus est A. H. 771; cf. tamen H. Ch. III p. 488 et VI p. 329, laud. sub cod. LXXXIX.

tate insignium, quorum primus est sjaichus Mohjî ad-dîn ibn Mohammad 'Abd al-Qâdir ibn abî Çâleh al-Djîlî s. al-Djîlânî, qui secundum annotationem in titulo natus est A. H. 471 et mortus A. H. 561, postquam per multos annos in urbe Baghdâd scholas habuit; et quorum ultimus est sjaichus Abû Ishâq Ibrâhîm ibn 'Alî, vulgo al-A'zab (الاعزب) dictus, qui obiit A. H. 607. Fere dimidia pars libri describit vitam sjaichi 'Abd al-Qâdir. Per totum opus laudantur testes omnium dictorum et factorum commemoratorum. Incipit: أستفتح باب العون بايدي محامد الله عزّ وجلّ الخ Auctoris nomen in ipso operis textu non occurrit, sed legitur sub titulo: المؤلف هذا الكتاب الشيخ العالم احمد بن معضاد رحمه الله h. e. hujus libri auctor est sjaichus doctus Ahmad ibn Ma'dhâd.

Hoc opus mihi videtur esse idem, quod laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat II pag. 71 seq., licet aliud nomen auctoris habeat, et historiarum ordo paullum differre videatur. In fine codicis leguntur duo carmina, ut dicitur, auctore 'Abd al-Qâdir al-Djîlânî supra laudato. Incipit primum:

للرسل قربٌ والختام الاقرب　　　وبكاسه من اختيار يشرب

Est igitur conceptum metro, quod Arabes „perfectum" (الكامل) appellant. Alterum incipit:

يا سيّد الاقطاب داو عبدكم　　　من بعده حتّي تروه عندكم

est igitur conceptum metro „trementi" (الرجز).

AUCTORES ÇÛFICI ET MYSTICI.

XCVI. Codex charta Belgica, in 4° minori, foll. 99, negligenter exaratus et a tineis perforatus. In prima pagina legitur, lingua Javanica, titulus: ثنكث كتاب رسالة طريق الرفاعي القادري h. e.: „hic liber continet tractatum de via, quam monstraverunt ar-Rifâ'î et al-Qâdirî;" in folio quarto legitur: هذا الكتاب في رسالة المجموع في بيان اسنادة الرفاعي والقادري وابن علوان والعيدروس وغيرهم h. e. „hic liber continet tractatum absolutum de auctoritate virorum ar-Rifâ'î et al-Qâdirî et Ibn 'Aluân et 'Aidrûs aliorumque." Liber continet monita çûfica, praecepta de variis modis invocandi (ذكر), preces (دعآء), etc. De scriptoris nomine, vel potius de scriptorum nominibus non liquet, neque de aetate codicis. Non dubito quin lector, linguae Arabicae haud prorsus ignarus, ab ipso titulo jam didicerit librum sermone vulgari et impurissimo esse conscriptum, quam ob rem difficillimus est intellectu. Ea difficultas increvit inde quod multa puncta diacritica deficiant.

XCVII. Codex charta Belgica, in fol., foll. 197. Continet:

1). Jncerti auctoris commentarium (شرح) in tractatum, cui titulus est: التحفة المرسلة الي روح النبي صلعم h. e.: „donum missum ad animam prophetae," cujus tractatus auctor fuit Sjams ad-dîn al-Hâdiq Mohammad ibn Fadhl

Allâh. Hic tractatus a commentatore dicitur missus esse ab Jndia in Peninsulam Asiaticam (?) (1). Tradit eam partem theosophiae, cui nomen est: علم التوحيد h. e. scientia unici Dei cultus (2), et incipit: الحمد لله ربّ العالمين والعاقبة Commentarius incipit: الحمد لله الذي للمتحلي (3) الخ اجاد بالمواهب الخ Cf. cod. XCVIII et $CVIII/_{15}$.

2). Alium commentarium in eundem tractatum. Incipit: الحمد لله عند اهل التصوف الخ.

3). Opus, cui titulus est.: مدارج السالكين الي رسوم طريق العارفين h. e.: „via eorum, qui tendunt ad praescripta sapientium." Est distributum in quinque capita, quorum argumenta ab ipso auctore exposita sunt: الباب الاول في ذكر سندنا بالتلقين ولبس الخرقة وآداب الذكر الباب الثاني في بيان نبذة من آداب المريد في نفسه الباب الثالث في بيان نبذة من آداب المريد مع شيخه الباب الرابع في بيان نبذة من آداب المريد مع اخوانه من الفقراء وغيرهم من ابناء الدنيا الباب الخامس في بيان نبذة من مقالات الاشياخ المتقامين في صفة المريدين الصادقين

Continet igitur regulam vivendi discipulis et magistris in studiis theosophicis servandam. A Hâdjdjî Chalîfat (V p. 469) ut auctor libri commemoratur 'Abd al-Wahhâb asj-Sjâ'rânî, mortuus A. H. 960. Incipit post Bismillam: احمد لله (4) ربّ العالمين الخ

---

(1) رسالة ارسلته من الديار الهندية الي الجزيرة المعمورة الاسية

(2) De ea scientia cf. A. v. Krehmer: Geschichte der herrschenden Ideën des Islâms, pag. 28.

(3) Lege, sicut in codice sequenti: للمتخلي.

(4) H. Ch. l. l.: الحمد لله.

Ultima folia codicis deperdita sunt, quam ob rem opus in medio capitis quarti abruptum desinit. Cf. cod. CXVI./c.

Uterque commentarius in opus التحفة المرسلة instructus est versione Javanica interlineari. Jn duobus foliis prioribus inter alia, quae lingua Javanica conscripta sunt, legitur annotatio e qua apparet titulos duorum commentariorum sub 1 et 2 laudatorum esse: موهب المرسلة et بداية اللطيف.

XCVIII. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 132, a tineis perforatus et ob chartam atramento corrosam multis locis lectu difficillimus. Adsunt omnia vocalium signa et versio Javanica interlinearis. Continet alterum exemplar commentarii in opus التحفة المرسلة, commemorati in codice praecedenti sub No. 1. Praeterea in primis et in ultimis foliis codicis adscriptae sunt quaedam annotationes, sordido sermone Arabico, e quibus, quod ad historiam regum Bantènensium pertinet, patet, codicem conscriptum A. H. 1113, esse e libris Sultâni Abû l-Mohâsan Mohammad Zain al-'Âbidîn, qui Sultânus natus est A. H. 1084 et obiit A. H. 1124. Filius fuit Sultâni Abû n-Naçr 'Abd al-Qahhâr et nepos Sultâni 'Abd al-Fattâh. Sultânus Zain al-'Âbidîn sedecim habuit filios filiasque, quorum primo, qui natus est A. H. 1104, nomen fuit Mohammad 'Ârif Dja'far addîn.

XCIX *a—o.* Codex charta orientali, constans XIV voluminibus, in 8° minori, quae volumina complectuntur foll. 59, 65, 60, 39, 39, 53, 79, 54, 82, 42, 84, 92, 96 et 95. Continet partem operis celeberrimi, cui titulus est: احياء علوم الدين h. e. „doctrinarum religionis vivificatio," auctore Jmâmo Hodjdjat al-Islâm Abû Hâmid Mohammad al-Ghazzâlî, Sjâfe'ita, mortuo A. H. 505. Codex noster complectitur, in singulis voluminibus, capita 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8 et 9 partis tertiae, quae docent: explicationem mirabilium cordis, mortificationem libidinum, damnum e

lingua passum, damnum ex ira passum, vituperationem mundi, vituperationem divitiarum, vituperationem dignitatum et hypocriseos, vituperationem superbiae (1); porrò partis quartae capita 1, 3, 4, 5, 6 et 9, quae docent: resipiscentiam, metum et spem, paupertatem et vitam asceticam, confidentiam et cultum unius Dei, amorem, meditationem (2). In nonnullis voluminibus legitur A. H. 1185 cum nomine cujusdam Arabis, qui olim librum possedise videtur.

Codex a tineis est perforatus, attamen sine textus danno. De ipso opere cf. Hâdjdjî Chalîfat I p. 180 seqq. et A. von Krehmer l. l. p. 15 seqq. et 43 seqq.

C *a* et *b*. Codex charta Belgica, in fol., duobus voluminibus, foll. 242 et 157 constans. Bene est exaratus sed atramentum in nonnullis foliis chartam corrosit. Continet ejusdem operis احيآء علوم الدين partis quartae caput secundam et caput quartum, quae patientiam, gratiarumque actionem, et paupertatem vitamque asceticam (3) tradunt.

Annus non notatur in codice.

CI. Codex charta Belgica, in 4° minori, foll. 104. Continet non minus quam XXI tractatus et tractatulos praecipuè de theosophia, quorum nonnulli vix duobus aut tribus foliis constant. Tractatibus sunt hi tituli:

1). Incerti auctoris النفحة السيلانية h. e. „odor fluctualis." (4) In fine auctor dicit se librum scripsisse A. H. 1116.

---

(1) آفة اللسان: رياضة النفس: شرح عجائب القلب; ذمّ الجاه والريآء: ذمّ الدنياء: ذمّ حبّ المال: آفة الغضب; ذمّ الكبر.

(2) التوكّل والتوحيد: الفقر والزهد: الخوف والرجآء: التوبة; المحبّة: التفكّر.

(3) الفقر والزهد: الصبر والشكر.

(4) Hunc titulum corruptum esse suspicor, nescio tamen quae vera sit lectio.

2). زبدة الاسرار h. e.: „butyrum arcanorum," auctore Hâdjdjî Jôsof at-Tâdj al-Makanî, qui hunc librum conscripsit A. H. 1087, rogatu Sultâni Bantènensis Abû l-Fath, qui Sultânus filius fuit Sultâni Abû l-Ma'âlî et nepos Sultâni Abû l-Mofâchir. Librarius exaravit A. H. 1186, Idem opus commemoratum est in Cod. XLV/$_2$

3). Ejusdem auctoris, ut videtur, قرّة العين h. e. „refrigeratio oculi." Incipit: الحمد لله الذي جعل محمدا افضل الخ In fine legitur A. H. 1186.

4). Sequitur sine titulo, incerti auctoris, tractatulus.

5). تاج الاسرار h. e. „corona arcanorum," auctore quodam Abû l-Mohâsan, discipulo Hâdjdjî Jôsof at-Tâdj, supra memorati. In fine legitur A. H. 1186.

6). Incerti auctoris: تحفة الآمر h. e. „donum imperantis." Praestantiam invocationum (ذكر) tradit. Eodem anno conscriptus est.

7). مطالب السالكين h. e. „objecta eorum qui in meditatione vivunt," auctore Hâdjdjî Jôsof at-Tâdj. Eodem anno conscriptus est. Cf. cod. CVIII/$_3$.

8). سرّ الاسرار h. e.: „arcanum arcanorum," incerti auctoris. Cf. cod. CVIII/$_{10}$.

9). Incerti auctoris: تحفة الابرار لاهل الاسرار h. e.: „donum justorum oblatum iis qui arcanis student." In fine aeque legitur A. H. 1186. Cf. cod. CXIII/$_3$.

10). Incerti auctoris sine titulo tractatus.

11). Incerti auctoris الوصية المنجية عن المضرّات h. e. „legatum liberum a detrimentis."

12). تنبيه الماشي h. e. „admonitio ingredientis," sc. viam

mysticam, auctore quodam 'Abd ar-Raüp (رؤف) 'Alî al-Djâwî. Adest anni annotatio 1186.

13). Incerti auctoris: مراة المحققين h. e.: „speculum justorum." Cognitionem animi tradit.

14—18). Incerti auctoris, tractatuli sine titulo.

19). Sine titulo. In fine auctor laudatur Ibrâhîm ibn Hasan ibn Sjihâb ad-dîn al-Kurdî.

20 et 21). Incerti auctoris, tractatuli sine titulo.

Totus codex una manu bene est exaratus et in calce auro indutus. Quae tamen in eo continentur minimi momenti sunt.

CII. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 256, bene exaratus et majori ex parte vocalium signis instructus. Inter lineas adjecta est versio perpetua in linguam Javanicam. Continet versionem Arabicam operis celeberrimi, Persice conscripti, cui titulus est نصيحة الملوك h. e.: „consilium regibus datum," auctore Imâmo Hodjdjat al-Islâm Abû Hâmid Mohammad ibn Mohammad al-Ghazzâlî, mortuo A. H. 505. Versionis Arabicae auctor in initio dicitur esse quidam Çafî ad-dîn Abû l-Hasan 'Alî ibn al-Mobârak ibn al-Mawhûb al-Lahmî (1) al-Adîlî. Opus laudatur a Hâdjdjî Chalîfat VI p. 352 seqq., et incipit: الحمد لله علي افضاله وانعامه الخ Monita, quae in eo continentur theosophiam et ethicam spectant, non vero, sic ut de titulo fortasse quis suspicaretur, jus publicum. Annus in codice non notatur.

CIII. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 147, bene exaratus, ominibusque vocalium signis et versione perpetua interlineari in linguam Javanicam munitus, sed a tineis

(1) In glossa marginali legitur: اللحمي هو البلد بين الدمشق والحلب

perforatus. Est idem opus, quod occurrit sub cod. CII; in primo folio quaedam adscripta sunt, quae ad jus criminale pertinent. Anni annotatio deëst.

CIV. Codex charta orientali, in fol. minori, foll.: 220, bene exaratus sed a tineis magnum damnum passus. Continet sjaichi Djamâl ad-dîn Mohammad 'Alî ibn 'Alân aç-Çadîqî, Sjâfeïtae, commentarium in opus نصيحة الملوك supra commemoratum. Incipit commentarius الحمد لله الذي جعل الدين النصيحة.

Codex exaratus est A. H. 1046.

CV. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 79, bene exaratus et, tam vocalium signis, quam versione Javanica interlineari instructus. Continet opus, cui titulus est: المواهب الربّانيّة h. e. „dona dominica," auctore Mohammad ibn 'Alî ibn 'Alân aç-Çadîqî al-Asj'arî, Sjâfeïta, qui dicit se librum conscripsisse rogatu principis (Bantènensis ut suspicor) Abû l-Mofâchir 'Abd al-Qâdir al-Djâwî. Distributus est liber in X partes, et agit de quaestionibus, quae spectant sententias nonnullas libri نصيحة الملوك supra laudati. Incipit: الحمد لله الذي اخذ علي اولي العلم الخ.

Anni nota caret.

CVI. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 65, bene exaratus, vocalium signis et versione Javanica interlineari instructus. Continet:

1) Incerti auctoris opus çûficum, cui titulus est: تحفة الطالب المبتدي ومنحة السالك المهتدي h. e. „donum oblatum discipulo incipienti et ei, qui jam bene directus, viam meditationis ingressus est." Opus divisum est in prologum (مقدّمة), tria capita (فصل) et epilogum (خاتمة) quorum argumenta ipse auctor nos ita docet: المقدمة في ذكر الانعيّن والتعيين الفصل الاول في ذكر الغيب والشهادة

الفصل الثاني في ذكر الاطلاق والتقييد الفصل الثالث في ذكر العشق والعاسق (1) والمعشوق الخاتمة في ذكر مثال الظهور الواجب من الممكن

Incipit: الحمد لله الذي اختفي بصفآء الخ, et in fine legitur A. H. 1171.

Idem opus continetur in cod. XLV/1.

2). Sine titulo librum çûficum. Continet monita discipulis oblata; auctor est quidam Djalâl al-haqq wad-dîn Mohammad So'ûdî al-'Omarî; qui dicit se opus excerpsisse ex operibus celeberrimorum sjaichorum çûficorum. Opus non est absolutum, ultima enim verba sunt haec: واما محل مقام. Per totum codicem hîc-illîc glossae marginales adjectae sunt.

CVII. Codex charta Belgica, in 4° minori, foll. 213, bene exaratus.

Continet incerti auctoris opus çûficum, cui titulus est مسلك الاتقيآء ومنهج الاصفيآء h. e.: „via Deum verentium et selectorum." Commentarius est in opus هداية الازكيآء الي طريق الاوليآء h. e. „dux piorum in via sanctorum" quod in fol. 2 v. dicitur esse carmen (قصيدة) auctore quodam Zain ad-dîn al-Ma'barî (المعبري) incertae aetatis. Codex incipit: الحمد لله الذي هدي من يشآء من عباده الخ.

De aetate operis hoc tantum constat, ut scriptum sit post diem XXIV mensis Sja'bân, A. H. 914, auctor enim (fol. 4) dicit se hujus diei nocte somnium habuisse, quod eum ad commentarium scribendum stimulavit.

CVIII. Codex spissus charta Belgica, in 12°, foll. 308, vocalium signis instructus. In titulo legitur: هذا كتاب السلطان بوني احمد صالح شمس الملة والدين وكاتبه القاضي

(1) L: العاشق.

بوني واسمه العرب هرون h. e.: Hic liber est e libris Sultâni Bônîensis Ahmad Çâleh Sjams al-millat wad-dîn; librum conscripsit Qâdhî (1) Bônîensis Arabs Harûn.

Continet non minus quam XXXI tractatus et tractatulos, majori ex parte incertorun auctorum et minimi momenti, sed qui omnes theosophiam spectant.

1). فتح الرحمان h. e. „victoria Misericordis," commentarius in tractatum theosophicum, auctore Imâmo al-'Ârif Billâh Roslân ad-Damasjqî. Cultum unius Dei (علم التوحيد) docet, et incipit: الحمد لمن تفرد بالوحدانية الخ. Cf. Hâdjdjî Chalîfat III p. 383 et IV p. 372; cod. XXIII/1.

2). Incerti auctoris: مطلع السرائر والظواهر h. e.: „ortus arcanorum et rerum conspicuarum" Incipit: القرآن نزل وتنزل والنزول قد مضي الخ Cf. cod. CXIII/1.

3). مطالب السالكين h. e.: „objecta eorum qui in meditatione vivunt," auctore Jôsof at-Tâdj supra commemorato Incipit: الحمد لله الذي حفظ قلوب المخلصين الخ Cf. cod. CI/7.

4). Incerti auctoris: فتح كيفية الذكر h. e.: „demonstratio modi invocandi" (ذكر).

5). Incerti auctoris: البركة السيلانية h. e.: „felicitas fluctualis."

6). Incerti auctoris: الفوائد اليوسفية في بيان تحقيق الصوفية h. e. „sententiae (2) Jôsofi de veritate theosophiae."

7). Incerti auctoris: كيفية المنفي h. e. „qualitas loquentis."

8). Incerti auctoris: تحصيل h. e. „acquisitio."

(1) In imperio Bônîensi, in insula, cui Celebes nomen est, qâdhî (kali) titulus est non judicis sed summi antistitis Mohammedanorum.

(2) Propriè: „ores".

9). Incerti auctoris: رسالة غاية الاختصار ونهاية الانظار h. e. „tractatus summa brevitate conceptus et terminus considerationis."

10). Incerti auctoris: سرّ الاسرار h. e. „arcanum arcanorum." Incipit: الحمد لله الذي ليس كمثله شيء الخ. Cf. cod. CI/8.

11). دقائق الاسرار „subtilitates arcanorum," auctore Abû l-Fath Abû l-Jahjâ 'Abd al-Baçîr adh-Dharîrî. Incipit: الحمد لله المطلق الحقيق الخ

12). Incerti auctoris: بهجة التنوير h. e. „pulchritudo illuminationis." Incipit: الحمد لله الذي وضع الاسرار في قلوب الخ

13). Incerti auctoris: فصّ حكمة الالهيّة h. e. „nucleus metaphysices".

14). Incerti auctoris: الاعيان الثابتة h. e. „essentiae stabiles."

15). التحفة المرسلة h. e. „donum missum" etc., cujus tractatus sub cod. XCVII/1, mentionem feci.

16). رسالة الوضوء h. e. „tractatus de lavatione sacra," auctore Tâdj ad-dîn ibn Dsakarjâ (1). Incipit: الحمد لله الموجد من العدم الخ

17). معرفة التوحيد h. e. „cognitio unitatis Dei," auctore quodam Mohammad al-Mad'ûwî Dimirdâsj al-Mohammadî aç-Çûfî. Incipit: الحمد لله الواحد الاحد الولي الخ

18). Incerti auctoris: مقدّمة الفوائد h. e. „prologus adnotationum utilium"

19). Incerti auctoris: اسرار الصلوة h. e. „arcana precationis"; de intentione (نيّة) agit.

(1) ذكريا; l.: زكريا Zakarjâ.

20). بحر اللاهوت h. e. „mare infinitum" (1), auctore quodam 'Abd Allâh.

21). وحدة الوجود h. e. „unitas existentiae," auctore quodam Mohammad, ex urbe Mekkat oriundo.

22). الغوث الاعظم h. e. „vir sanctus maximus" (2) incerti auctoris.

23). بيان الله h. e. „demonstratio Dei", auctore Imâmo Jôsof ibn Mohammad ex urbe Mekkat oriundo.

24). النور الهادي الى طريق الرشاد h. e. „lux ducens in viam rectam", auctore Sultâno Bônîensi Ahmad Çâleh Sjams al-millat wad-dîn, qui i. a. dicit se hunc tractatum conscripsisse A. H. 1202, anno tricesimo secundo vitae suae. Incipit: الحمد لله العظيم العالي الخ. In fine leguntur quaedam dicta Hâdjdjî Jôsof at-Tâdj supra commemorati.

25). Incerti auctoris: بداية المبتدي h. e. „initium tironis".

26). تخليص المعارف h. e. „purificatio cognitionum", auctore quodam sjaicho Mohammad al-Naqsjabandî al-Jamanî.

27). Incerti auctoris: دفع البلاء h. e. „repulsio afflictionis."

28). Sequitnr tractatus lingua Bônîensi conscriptus.

29). Incerti auctoris: الفتوحات الالهية h. e. „revelationes metaphysices."

30.) Sequitur alius tractatus lingua Bônîensi.

31). زبدة الاسرار h. e. „butyrum arcanorum", auctore Jô-

(1) Pag. 1.: وسمّيناه بحر اللاهوت يعني لا حدود ولا انتهي.

(2) De vocabuli غوث s. قطب significatione cf. Lane: The Modern Egyptians pag. 229 seqq., Freytag: Lex. Arab. i. v. قطب.

sof at-Tâdj al-Makanî, quem tractatum jam commemoravi in Cod. XLV/$_2$ et CI/$_2$.

In fine legitur A. H. 1221, quae annotatio mihi videtur spectare annum, quo codex est exaratus.

CIX. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 151, bene exaratus, sed in margine a tineis paullum perforatus. Continet incerti auctoris commentarium (شرح) in opus çûficum, cui titulus est: عجائب القلوب h. e. „miracula cordium," cujus operis auctor mihi aeque ignotus est. Incipit: الحمد لله الذي تتحي دون ادراك الخ, et tradit affectus anîmi et cordis nec non pericula hominibus imminentia e diaboli artificiis. Cf. H. Ch. IV pag. 187.

CX. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 332. Continet:

1). Opus philosophicum, cui titulus est: النصوص h. e. „sanctiones," auctore sjaicho Çadr al-millat wad-dîn abû l-Ma'âlî Mohammad ibn Jshâq ibn Jôsof ar-Rum al-Qûnewî, mortuo A. H. 673. Incipit: الحمد لله الذي ابان بمستقرّات الهمم الخ. Laudatur opus apud H. Ch. VI p. 349 seq. et agit de nonnullis principiis philosophiae.

2). Incerti auctoris opus çûficum, sine titulo. Incipit: الحمد الله بلسان المراتبة الخ

3). Incerti auctoris opus çûficum, cui titulus est المفتاح h. e. „clavis". Incipit: اللهم احمد نفسك عن ما امرته الخ.

Anni annotatio in codice deëst.

CXI. Codex charta Belgica, in fol. minori, foll. 35, currenti calamo et satis negligenter exaratus, fortasse ipsius auctoris manu. Continet opus, cui titulus est: فتح الملوك h. e. „revelatio regibus," auctore quodam 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr al-Djâwî, cujus nomen invenitur in multis aliis codicibus de quibus postea sermo erit. Argumentum libri ipse auctor ita desribit: ان اجمع والف وانقل من بعض

كلام اهل الله واهل السلوك ليزيل الشكوك ونقدم ونبتدي هذا (1) الرسالة القليلة المفيدة ان شآء الله لمن يعمد وتأمل (2) اولا من فضيلة العلم وطالبه وتعليمه وتعلمه ثمّ نذكره في علم التصوف قليلا وعلم الحقيقة وعلم الطريق وقليل من علم الشريعة وقليل من علم اصول الدين واصول الفقيه (3). Opus conscriptum est rogatu Sultâni Bantènensis Abû n-Naçr Mohammad 'Ârif Zain al-'Âsjiqîn, filii Sultâni Abû l-Fath Zain al-'Ârifîn. In fine legitur A. H. 1183.

CXII. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 178, bene exaratus sed a tineis corruptus. Continet:

1). Tractatum theosophicum, cui titulus est, الاسفار h. e. „Retectio." Incipit: الحمد لله العليم القدير الخ, et post doxologiam legitur: امّا بعد وهذا ايها الطالب الراعب (4) ما يتعلق بالاستخارة المعروفة التي تعمل الامر معين اذا همّ به والاستخارة التي يصليها اهل الله كل يوم في وقت معين لاعمال الليلة والنهار من ذلك الوقت الي مثله من اليوم الاخر وبيان ان لها اصلا (5) في السنّة كما اشار اليه المجد الفيروزابادي وتبعه الشريف السمهودي رحمه الله تعالي دعا الي ذلك اعتراض الشيخ ابن حجر الهيثمي في التحفة علي الامام السهروردي قدس سرّه في عوارف المعارف بان الاستعاذة والاستخارة اللتين ذكرهما في العوارف لا اصل لهما في السنة الخ

Tractatus divisus est in partes tres, quae inscribuntur: prologus (مقدمة), scopus (مقاصد) et epilogus (خاتمة); in

(1) L.: هذه.

(2) L.: يأمل.

(3) L.: الفقه.

(4) L.: الراغب.

(5) L.: اصل.

fine legitur eum conscriptum esse A. H. 1073, sed auctoris nomen non memoratur.

2). العقلة المستوفزة h. e. „praestigiae perfectae," auctore Mohjî ad-dîn Mohammad ibn 'Alî ibn 'Arabî at-Tâî, mortuo A. H. 638. Incipit: الحمد لله الواهب الذى افتح الخ, et complectitur doctrinas sphaerarum et elementorum. Cf. H. Ch. IV p. 235.

3). Incerti auctoris tractatum de astronomia, cui شقّ الجيب h. e. „dimidium sinus," titulus est. Incipit: الحمد لوليه الظاهر الخ.

4). Sine titulo vel auctoris nomine tractatum de vocabulo شغل.

5). كيمياء السعادة h. e. „alchymia beatitudinis," auctore Abû 'Abd Allâh Mohammad ibn 'Alî ibn al-'Arabî at-Tâî, supra commemorato. Agit de vi mystica et de praestantia formulae: لا اله الّا الله ومحمد رسول الله, et incipit: الحمد لله ربّ العالمين الخ. Laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat V p. 285.

6). Ejusdem auctoris tractatum de lumine, sc. in arcanis religionis. Titulus est: رسالة الانوار et incipit: الحمد لله واهب العقل الخ. Cf. H. Ch. III p. 371.

7). Incerti auctoris commentarium (شرح) in formulam بسم الله الرحمان الرحيم. Incipit: الحمد لله الفتّاح العليم الخ et in octo capita est distributus. Prima pagina majori ex parte, nescio qua de causa, erasa est.

CXIII. Codex charta Belgica, foll. 58, in fol. minori, vocalium signis et versione Javanica interlineari instructus, sed ob chartam atramento corrosam lectu difficilis et a tineis perforatus.

Continet:

1). Incerti auctoris: مطلع السرائر والظواهر h. e. „ortus arcanorum et rerum conspicuarum," tractatum de revelatione Qorâni deque aliis rebus ad theosophiam pertinentibus. Sine doxologia post Bismillam incipit ita: القرآن نزل وتنزل وقد مضي الخ Cf. cod. CVIII/$_2$.

2). Tractatum de formula: لا الله الا الله. Omissa doxologia incipit: وبعده وهذا مما لا بدّ لاصحابنا لله الخ. Auctor est Hâdjdjî Jôsof at-Tâdj supra memoratus.

3). Tractatum theosophicum, cui titulus est: تحفة الابرار لاهل الاسرار h. e. „donum justorum oblatum iis qui arcanis student", incerti auctoris. Incipit post Bismillam وبعده فهذه مختصر لطيفة ونبذة ظريفة الخ. Cf. cod. CI/$_9$.

4). Sine titulo vel auctoris nomine tractatum de formula: لا الله الا الله deque aliis invocationibus (ذكر). Incipit: اعلم انه ينبغي الذاكر الخ

5). Incerti auctoris tractatum de conditionibus (شرائط) a discipulis observandis, quae conditiones numero undecim sunt. Titulus est: عقدة المريدين h. e. „obligatio discipulorum"; incipit tractatus: الحمد لله وحده الخ.

Anni annotatio in codice deëst.

CXIV. Codex charta Belgica, foll. 248, in 4° minori, currenti calamo et negligenter exaratus ab 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr, supra laudato. Desunt multa puncta diacritica, et tineae codicem aggressae sunt, sine tamen magno textus damno. Continet.

1). منهج السالك h. e. „Via procedentis" sc. in re mystica, auctore Nûr ad-dîn abû l-Hasan 'Alî ibn Chalîl al-Marçafî al-Madanî, Sjâfeïta, incerti aevi. Opus est epitome alius operis, cui titulus est: الرسالة القشيرية quodque fundamenta vitae spiritualis tradit. Opus incipit: الحمد

لله الذي تعرف بحدوث كائناته الخ, et laudatur a Hâdjdjî Chalîfat VI p. 220, ubi tamen alium initium legitur, nescio qua de causa, de identitate enim duorum librorum dubium non exoriri potest. In fine legitur librarium codicem conscripsisse A. H. 1178.

2). Incerti auctoris, sine titulo, tractatum de unius Dei cultu (التوحيد). Incipit: احمد الله بصفاته توحيد الخ.

3). Incerti auctoris sine titulo tractatum de subtilitatibus verborum occurrentibus in duobus operibus notissimis, quibus المنهاج et المحرر tituli sunt, auctoribus an-Nawawî (mortuo A. H. 676) et ar-Râfe'î (mortuo A. H. 623). Auctor disserit de discrepantiis inter haec duo opera juridica, quorum primum est commentarius et epitome alterius. (Cf. H. Ch. V p. 419 seq. et VI p. 204 seqq., et opus meum: „de contractu البيع jure Mohammedano", p. 22 seq.). Incipit: الحمد لله رب العالمين اللهم صل علي سيدنا الخ.

4). Varias annotationes in primo folio et in ultimis foliis codicis.

CXV. Codex charta Belgica, foll. 112, in 8° majori, currenti calamo et negligenter exaratus; puncta diacritica saepius omissa sunt. Continet.

1). Quasdam annotationes, lingua Javanica, ubi docemur effectum terrae motus in diversis anni mensibus. Exempli gratia, si terrae motus accidit mense Moharram, multi homines peribunt, si mense Djumâdî l-âchir, pecudes magno pretio vendentur et annona cara erit, et ita porro.

2). Quaedam dicta Imâmi asj-Sjâfe'î, prophetae et aliorum.

3). Preces (دعآء), precationes (صلوة) et invocationes (ذكر).

4). Annotationes varias, partim lingua Javanica, par-

tim lingua Arabica conscriptas, de omnibus fere rebus, quarum ne operae quidem pretium est argumenta enumerare.

5). Incerti auctoris, sine titulo, tractatum de medicina. Incipit: هذه الجمل المشفآة كتاب المقلات الخ.

In fine duae tabulae, quas magicas esse suspicor, adjectae sunt.

6). الحكام (1) العطآئية h. e. „sententiae," auctore sjaicho Tâdj ad-dîn abû l-Fadhl Ahmad ibn Mohammad ibn 'Abd al-Karîm al-Iskandarânî asj-Sjâdsilî, Mâlekîta, vulgo appellato Ibn 'Atâ Allâh, et mortuo in urbe Qâhirat A. H. 709. Est opus theosophicum celeberrimum, in quod ingens numerus commentariorum conscriptus est. Incipit: من علامة الاعتماد علي العمل نقصان الخ, et laudatur a Hâdjdjî Chalîfat III p. 82 seqq.

7). Quasdam preces et dicta prophetae.

Anni annotatio, aut librarii nomen in codice non occurrit.

CXVI. Codex charta Belgica, foll. 246, in 4° minori, bene exaratus, sed a tineis perforatus. Continet:

1). Excerpta et indices plurimorum librorum theologicorum et theosophicorum.

2). Doctissimi sjaichi Kamâl ad-dîn 'Abd ar-Razzâq al-Kâsjânî (2), A. H. 702 mortui, commentarium in opus çûficum, cui titulus est: منازل السائرين h. e.: „stationes viatorum," sc. in itinere mystico, auctore 'Abd Allâh ibn Mohammad ibn Isma'êl al-Ançârî al-Harawî, Hanbalîta, mortuo A. H. 481. Liber de variis vitae mysticae conditionibus agit, et incipit: الحمد لله الواحد الاحد الخ;

(1) L.: الحكم.

(2) Apud H. Ch. الكاشي.

commentarius incipit: الحمد لله الذي خصّ العارفين بمعرفة ما لا يعرف الا هو الخ. Cf. Hâdjdjî Chalîfat VI p. 129 seqq., ubi tam liber quam commentarius laudatur.

Exemplar nostum exaratum est A. H. 1116.

3). Cujusdam Moäjjid ad-dîn, mihi ignoti, commentarium in hos duos versus sjaichi Mohjî ad-dîn Mohammad ibn 'Alî ibn al-'Arabî, mortui A. H. 638 (1).

كنّا حروفاً عاليات لم نُقَل متعلّقات في ذُري اعلا آلقلل

أنا أنت فيه ونحن أنت وأنت هو والكلّ في هو هو فسل عمّن وصل

Sunt igitur metro „perfecto" (الكامل) conscripti.

4). Incerti auctoris in eosdem versus commentarium, qui fine caret.

5). Sjaichi Sjams ad-dîn Mohammad ibn Hamzat al-Barûdhâwî, vulgo ibn al-Fanârî appellati, et A. H. 834 mortui (2), in eosdem versus commentarium.

6). مدارج السالكين الي رسوم طريق العارفين h. e. „via eorum qui tendunt ad praescripta sapientium," auctore 'Abd al-Wahhâb asj-Sja'rânî, mortuo A. H. 960. Incipit: الحمد لله ربّ العالمين الخ, et divisus est in V capita, quorum argumenta sub cod. XCVII/$_3$ exposui. Cf. H. Ch. V p. 469.

In fine legitur A. H. 1115.

7). Varias annotationes diversorum scriptorum.

CXVII. Codex charta Belgica, foll. 198, in 4° minori, bene exaratus et tam vocalium signis, quam versione perpetua interlineari lingua Javanica munitus. Continet:

1). Excerptum e biographia celeberrima prophetae, cui titulus est: المواهب اللدنيّة h. e. „dona apud Deum deposita," auctore Imâmo Sjihâb ad-dîn abû l-'Abbâs Ahmad ibn

(1) Cf. Hâdjdjî Chalîfat VII p. 1171 No. 6415.

(2) Cf. H. Ch. VII p. 1218 No. 8131.

Mohammad al-Qastalânî al-Miçrî, mortuo A. H. 923. De ea Mohammadis biographia cf. H. Ch. VI p. 245 seqq.

2). تنبيه القلوب h. e. „animadversio cordium," tractatum çûficum, auctore Ahmad s. Mohammad al-Kabîr ar-Rifâ'î aç-Çûfî, qui apud incolas Archipelagi Indiae Orientalis magna auctoritate floret. Ex annotatione in fine apparet hunc tractatum conscriptum esse A.·H. 1170. Incipit post Bismillam: فصل في بيان كلمات المراقبة الخ.

3). Incerti auctoris biographiam sanctissimi sjaichi ar-Rifâ'î, nuper commemorati [1]. In titulo legitur hanc biographiam conscriptam esse rogatu Sultânî Bantènensis Abû n-Naçr Mohammad 'Ârif Zain al-'Âsjiqîn, qui Sultânus fuit ab A. H. 1160 usque ad A. H. 1182.

4). Excerptum e libro çûfico, cui titulus est: عُدَّة المرشدين وعمدة المسترشدين h. e. „apparatus eorum, qui bene ducunt, et columen eorum, qui jam bene directi sunt," auctore Ahmad ibn abî Bakr ibn ar-Ridâd al-Qorasjî al-Jamanî.

5). Carmen, metro „trementi" (الرجز) conceptum, de fundamentis religionis (اصول الدين). Incipit:

الحمد لله بحمد الله وهو آلذي بحمده يناهي [2]

Ut auctor carminis laudatur sjaichus quidam Ahmad al-Qosjâsjî. Librarii nomen in codice non inveni, neque anni annotationem. Constat tamen eum esse recentioris temporis.

CXVIII. Codex charta Belgica, in fol., foll. 67, vocalium signis et versione interlineari lingua Javanica munitus. Continet incerti auctoris librum cui titulus est: حكاية

(1) Obiit A. H. 570.

(2) نهي III desideratur in Lexico Freytagii. Ea tamen forma etiam occurit apud W. Wright: Opusc. Arab., pag. 3.

(1) البراية h. e.: „historia immunitatis." Incipit: الحمد لله الواحد الاحد الخ, et agit de formula: لا اله الا الله et de caeteris Dei invocationibus (ذكر). Auctor sententias suas confirmat, quum Qorâni textu traditionibusque prophetae, tum aliorum sanctorum dictis allegandis.

Codex anni annotationem 1156 habet, et e libris est cujusdam Ratû Bantênensis.

---

(1) L.: البرآءة.

THEOLOGI.

CXIX. Codex charta Belgica, in fol., foll., 214; bene est exaratus sed atramento charta est corrosus, quam ob rem multa folia prorsus legi nequeunt. Continet:

1). Partem tractatus cujusdam de theologia. Initium deëst, neque in eo tractatu auctoris nomen aut anni annotatio commemoratur.

2). Tractatum theosophicum, cui titulus est; فتح الواحد h. e.: „revelatio Dei unici," auctore Mohammad 'Alî ibn 'Alân al-Bakrî. Incipit: الحمد لله الواحد الاحد بكل اعتبار الخ. Tractatus a Hâdjdjî Chalîfat non laudatur, sed auctoris nomen saepius iterumque. Cf. H. Ch. VII p. 1115 No. 4313.

3). اليواقيت والجواهر h. e.: „sapphiri et gemmae," auctore sjaicho 'Abd al-Wahhâb ibn 'Ahmad asj-Sja'rânî, mortuo A. H. 976. Incipit: الحمد لله رب العالمين الخ, et agit de articulis fidei virorum spectatorum, inprimis de consensu inter articulos fidei illuminatorum (1) et rationalistarum (2). In fine legitur auctorem opus perfecisse A. H. 955 in urbe Miçr, et exemplar nostrum exaratum esse in urbe Mekkat, A. H. 1075, manu cujusdam Jôsof ibn abî Bakr ibn Mohammad Hosain. Opus laudatur apud H. Ch. VI pag. 517.

Alterum exemplar occurrit in cod. $XXIII/_3$.

4). Carmen (قصيدة) incerti auctoris, conceptum metro „trementi" (الرجز), de fundamentis religionis. Adjectus est commentarius. Incipit carmen:

(1) اهل الكشف.

(2) اهل الفكر.

نحمدك اللهمّ جلّ الحمد   على الهدي مذك وحسن القصد
وحسن الاقتصاد في العقائد   وما تفضّلت من الفوائد

In fine commentarii legitur anni nota 1144 H.

CXX. Codex spissus, charta Belgica, in fol., foll. 327. Continet idem opus اليواقيت والجواهر.

CXXI. Codex charta Belgica, in fol., foll. 185, nitide exaratus. Continet idem opus اليواقيت والجواهر.

CXXII. Codex charta Belgica, in fol., foll. 236. Continet:

1). Incerti auctoris tractatum de nominibus Dei (شرح اسمآء الله).

2). Incerti auctoris tractatum de ordine, quo ex sententia Chalîfae 'Alî ibn abî Tâlib capita (سورة) Qorâni ab Angelo Djabrâël Mohammadi revelata sunt.

3). Carmen in laudem optimi creaturarum, (في مدح خير البرية) h. e. Mohammadis prophetae. Incipit post Bismillam:

كيف ترقي رقيّك الانبيآء   يا سمآء ما طاولتها سمآء

Est igitur conceptum metro „levi" (الخفيف).

4). Librum quadraginta traditionum de Qorâni capite CXII, cui الاخلاص nomen est, auctore Jôsof ibn 'Abd Allâh al-Hosain al-Armîjûnî, Sjâfeïta. Incipit: الحمد لله ربّ العالمين الخ.

5). Caput IX, partis tertiae, operis notissimi احيآء علوم الدين. Invocationes et preces (الاذكار والدعوات) tradit. Cf. codd. XCIX et C.

6). Ex eodem opere ejusdem partis caput X, pericopas Qorâni (الاوراد) tradens.

7). Incerti auctoris: الميزان القويم h. e. „bilanx recte

constituta," commentarium in opus, cui titulus est القسطاس المستقيم h. e. „statera recta", auctore clarissimo al-Ghazzâlî, mortuo A. H. 505. Cf. Hâdjdjî Chalîfat IV p. 514. Opus nostrum incipit: الحمد لله الذي انزل الكتاب الخ, et agit primo loco de syllogismis vitiosis, secundo vero loco de bilancibus, quibus prophetae et patriarchi usi sunt.

8). Incerti auctoris tractatum de equis. Desunt Bismilla et Doxologia; incipit: الفرس هو احسن الحيوان الخ.

9). Incerti auctoris partem commentarii in librum quemdam juridicum. Aquam impuram tradit.

10). Incerti auctoris partem commentarii in librum quemdam theologicum.

Anni annotationem in codice non inveni.

CXXIII. Codex charta Belgica, in fol., foll. 150, a tineis corrosus. Continet:

1). Historiam Jôsofi et Ja'qûbi, ut auctor aït, praesertim ex Qorâni capite XII, quod illius viri nomen habet, concinnatam. Incipit: الحمد لله الذي شهدت الخ.

2). „Clavem," commentarium in opus de cognitione fidei, (المفتاح في شرح معرفة الاسلام), incerti auctoris. Incipit: الحمد لله الذي اخرج عبادة من العدم الخ. Cf. cod. CXXVIII/$_3$.

3). Commentarium, quem Abû 'Abd Allâh Mohammad ibn Jôsof as-Sinûsî al-Hosainî (mortuus A. H. 895) scripsit in opus suum, cui عقيدة اهل التوحيد h. e. „confessio fidei eorum qui in unum Deum credunt" titulus est. Incipit: الحمد لله واسع الجود والعطآء الخ et absoluta est A. H. 875. Ipsum opus incipit post Bismillam اعلم ان الحكم العقلي ينحصر في ثلاثة اقسام الخ Cf. H. Ch. IV p. 242 seq., et cod. XXI XLIII, XLIV CXXVIII/$_7$, CXXIX/$_5$ et CXXX.

4). Incerti auctoris tractatum, cui titulus est: عمدة الانساب h. e. „columen omnium generum." Continet historiam prophetae et quatuor primorum Chalîfarum. Incipit:

الحمد لله علي ما انعم الخ, et A. H. 1079 annotationem habet.

5–10). Sex tractatulos varii argumenti, sed omnes ad theologiam pertinentes.

11). المعرج h. e. „ascensio prophetae" ex narratione cujusdam traditionarii Mohammad ibn Sahal.

CXXIV. Codex charta Belgica, in fol., foll. 147. Continet opus de daemonibus et de geniis, cui titulus est: آكام المرجان h. e. „colles margaritarum", auctore Qâdhî Badr ad-dîn Mohammad ibn 'Abd Allâh asj-Sjiblî, Hanafîta, mortuo A. H. 769. Opus distributum est in CXL capita, et incipit: الحمد لله خالق الانس الخ. Laudatur apud H. Ch. I p. 386.

CXXV. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 237, a tineis corrosus, attamen sine textus damno. Continet.

1). Opus theologicum, cui titulus est: قصد السبيل h. e. „propositum viae", auctore quodam Ibrâhîm ibn Hasan al-Kurdî, quod opus teste auctore scriptum est in templo Medinensi A. H. 1083. De unitate Dei (توحيد) agit, et incipit post Bismillam: وبه نستعين وصلي الله علي سيدنا محمد وعلي آله وصحبه وسلم تسليما الله ولي الذين آمنوا يخرجهم من الظلمات الخ۞

Adsunt multae glossae marginales.

2). Ejusdem auctoris de theologia librum, cui titulus est: المسلك المختار h. e. „via selecta." Incipit: الحمد لله الغني بالذات عمّا سواه الخ۞

In fine operis legitur A. H. 1082.

CXXVI. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 199, constans duobus partibus in unum volumen comprehensis. Continet opus theologicum, cui titulus est تحفة الاخوان h. e. „donum fratribus oblatum", auctore

quodam Ahmad ibn Hadjâzî al-Fasjnî (الفشني). Incipit: الحمد لله وكفي وسلام علي عباده الذين اصطفي الخ et divisum est in XX consessus (مجلس), quorum XV in prima parte et V in secunda continentur. Argumenta in singulis consessibus tractata haec sunt: I Bismillae interpretatio, II de mensibus sacris et imprimis de mense Redjeb, III et IV de ascensione prophetae, V de precibus necessariis, VI de praestantia precationum in templo (مسجد) die Veneris, VII de mense Sja'bân, VIII de praestantia noctis intermediae mensis Sja'bân (1), IX interpretatio Qorâni S. XVI: 92, X id. Qorâni S. XXV: 63, XI et XII de mense Ramadhân, XIII de jejunia et de praestantia eleëmosynarum, XIV de nocte Divini Decreti (ليلة القدر), quae est nox vicesima septima mensis Ramadhân (2), XV de tributo, زكاة الفطر appellato, et de festo, quod „minus" (الصغير) dicitur, XVI de morte et de sepulchris, XVII, XVIII et XIX de resurrectione, XX de Paradiso.

Anni annotatione codex caret.

CXXVII. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 148, a tineis perforatus. Continet:

1). Opus theologicum cui titulus est: شمس المعارف ولطائف العوارف h. e. „sol cognitionis et elegantia doctorum," auctore Mohjî ad-dîn abû l-'Abbâs Ahmad ibn abû l-Hasan ibn Jôsof al-Qoraisjî al-Bûnî mortuo A. H. 622. Opus laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat IV p. 74 seqq. et incipit: الحمد لله الذي اطلع شموس المعرفة الخ. Libri argumentum ipse auctor (f. 2) eo modo exponit: المقصود من فصول هذا الكتاب ان يعلم بذلك شرف اسمآء لله تعالي وما اودع

(1) De ea nocte cf. Lane: the Modern Egyptians, p. 471.

(2) Cf. Lane, l. l. p. 478.

في بحرها من انوار (1) الجواهر الحكميّات واللطائف الالهيّات (2) وكيف التصريف باسماء الدعوات وتاييدها (3) من حروف السور والايات يتّصل بها الخ.

Idem opus occurrit in codicibus XIX et XX.

2). Incerti auctoris opus theologicum, cui titulus est: الجوهر الرابع h. e. „gemma quarta." Librarius laudatur Mohammad al-Ghûsj (الغوش) Medinensis; codex scriptus est A. H. 1160.

3). Accedunt in folio primo aeque ac in sex foliis ultimis variae annotationes tam lingua Arabica, quam lingua Javanica, quae tamen omnes nullius momenti sunt et ad varia argumenta pertinent. Nonnullae harum annotationum etiam exercendi tantum causa adjectae videntur.

CXXVIII. Codex bene exaratus, sed a tineis corrosus, charta Indica, in fol., foll. 252, vocalium signis majori ex parte instructus, quum etiam in plurimis locis versio Javanica adjecta est. Continet:

1). Incerti auctoris: بهيجة (4) العلوم h. e. „pulchritudo scientiarum", opus continens expositionem principiorum fidei. Est commentarius in librum incerti tituli, cujus libri auctor laudatur sjaichus Abû l-Laith Mohammad ibn abî Naçr ibn Ibrâhîm as-Samarqandî mortuus A. H. 375 (5). Incipit commentarius: الحمد لله الذي نوّر قلوب المؤمنين الخ, et ipsum opus: الحمد لله ربّ العالمين والعاقبة الخ.

2). Sine titulo commentarium in opus, cui titulus est: مسئلة الستين h. e. „LX quaestiones," sc. de rebus jure

(1) Apud H. Kh. l. l.: انواع

(2) Ibid.: اللطائف الالهيات om.

(3) Ibid.: تابعها

(4) L.: بهجة.

(5) Cf. H. Ch. VII pag. 1135 No. 5092.

Sjâfeïtico necessariis (فروض), auctore Ibn 'Abbâs Ahmad az-Zâhid. Incipit commentarius: الحمد لله ربّ العالمين الخ et ipsum opus: هذا بيان ما لا بدّ منه من الفروض الخ.

3). Incerti auctoris librum, cui titulus est: المفتاح في شرح معرفة الاسلام الخ h. e. „clavis", commentarium in opus de cognitione fidei. Incipit: الحمد لله الذي اخرج عباده من العدم الخ. Cf. codd. CXXIII/$_2$ et CXXIX/$_4$.

4). Incerti auctoris: المفيد من شرح الدرّة الفاخرة h. e. „Utilitas capta e commentario in librum cui „„margarita pretiosa"" titulus est." Incipit: الحمد لله ربّ العالمين الخ. „Margarita pretiosa" (الدرّة الفاخرة) est opus notissimum, auctore Hodjdjat al-Islâm abû Hâmid Mohammad al-Ghazzâlî, mortuo A. H. 505. Cf. H. Ch. III. pag. 207, et cod. XXXII.

5). Sjaichi 'Abd Allâh Mohammad ibn 'Omar ibn Ibrâhîm at-Telemsânî commentarium in librum notissimum: عقيدة اهل التوحيد h. e. „confessio fidei eorum, qui in unum Deum credunt", auctore Imâmo Mohammad ibn Jôsof as-Sinûsî al-Hosainî, mortuo A. H. 895, qui liber laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat IV p. 242 et sub codd. XXI, XLIII, XLIV, CXXIII/$_3$, CXXIX/$_5$ et CXXX. Incipit commentarius: الحمد لله المفرد بوجود الوحدانيّة الخ.

6). Incerti auctoris alium in eundem Sinûsîi librum commentarium. Titulum: الفتح المبين h. e. „expositio clara" habet, et incipit: الحمد لله الذي انطق الكائنات الخ.

7). Ipsius Sinûsîi commentarium in eundem librum a se scriptum. Incipit: الحمد لله واسع الجود والعطاء الخ

Idem commentarius occurit in cod. CXXIII/$_3$.

Neque anni annotationem in codice inveni, neque librarii nomen.

CXXIX. Codex charta Indica, in fol., foll. 76, vocalium signis, neque tamen omnibus, et versione perpetua lingua Javanica interlineari instructus. Codex bene est exaratus, sed a tineis corrosus. Continet:

1). Ipsum opus Imâmi as-Samarqandî, cujus sub cod. CXXVIII/$_1$ commentarium laudavi.

2). Opus, cui titulus est: الستين مسئلة h. e. „LX quaestiones", cujus aeque in codice praecenti mentionem feci, sub No. 2.

3). Incerti auctoris tractatum de confessione fidei, (شهادة) h. e. de formula: لا الله الا الله ومحمد رسول الله

4). Incerti auctoris de eodem argumento librum, cui titulus est: معرفة الاسلام h. e. „cognitio fidei," cujusque sub cod. CXXVIII/$_3$ commentarium commemoravi.

5). Tractatum de confessione fidei. Incipit: الحمد لله رب العالمين والصلوة والسلام علي رسوله اعلم ان الحكم العقلي ينحصر في ثلثة اقسام الوجوب والاستحالة والجواز الخ

Est عقيدة اهل التوحيد, opus Imâmi Sinûsîi, mortui A. H. 895, quod tamen sub titulo الرسالة في معاني كلمتي الشهادة h. e. „tractatus de sensu verborum confessionis fidei," edidit et Germanice vertit Doct. M. Wolff (1). In fine legitur: (2) (?) تمّت هذا الكتاب المسمّي دورة. Cf. codd. CXXIII/$_3$ etc.

6). Sine titulo aut auctoris nomine tractatum de formula: لا الله الا الله:

7). Incerti auctoris tractatum, cui titulus est: سكران الموت h. e. „ebrietas mortis."

Mortem et animi immortalitatem tradit.

8). Incerti auctoris tractatum de paradiso et de animi

(1) El-Senusi's Begriffsentwickelung des Mohammedanischen Glaubensbekentnisses. Leipzig, Vogel, 1848.

(2) L.: بالدرّة.

immortalitate, cui titulus est: الكريث h. e. „res difficilis."

9). Incerti auctoris tractatum sine titulo de precibus (صلاة).

10). Item de incredulitate.

Anni annotatio in codice desideratur.

CXXX. Codex charta Belgica, in 8°, foll. 29, vocalium signis et versione Malaïca, interlineari munitus. Continet Sinûsîi tractatum de confessione fidei cujus alterum exemplar continetur in codice CXXIX/5. In fine et in initio codicis quaedam alia lingua Malaïca adscripta sunt, quae tamen ad ipsius tractatus argumentum non pertinent. In fine legitur codicem conscriptum esse A. H. 227, qui tamen annus sine dubio 1227 legendus est; codex enim recentiori manu scriptus esse mihi videtur. Laudatis Deo et propheta tractatus incipit: اعلم ان الحكم العقل (1) ينحصر في ثلاثة اقسام الوجوب والاستحالة والجواز الخ

CXXXI. Codex charta orientali, in 4° minori, foll. 109, currenti calamo exaratus et a tineis perforatus, attamen sine textus damno. Continet:

1). LIII quaestiones (مسائل) de variis rebus theologicis, ut: de vita futura, de paradiso, de daemonibus, de statura corporis Adami, etc. Auctor laudatur Mohammad, filius doctissimi sjaichi 'Abd al-Bâqî ar-Zarqânî, Mâlekîtae, mortui A. H. 1099 (2). Librarius fuit 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr al-Djâwî, qui scripsit A. H. 1159 in urbe Mekkat. Doxologia deëst.

2). النقاية h. e. „pars exquisita," tractatum de XIV disciplinis (3), nonnullis quaestionibus cum iis cohaerentibus

---

(1) L.: العقلي.

(2) Cf. Ḥ. Ch. VII pag. 1015, No. 473.

(3) Eae disciplinae sunt: علم اصول الدين, علم التفسير, علم الحديث, علم اصول الفقه, علم الفرائض, علم النحو, علم التصريف, علم الخطّ, علم المعاني, علم البيان, علم البديع, علم التشريح, علم الطبّ, علم التصوف,

additis, auctore Djalâl ad-dîn 'Abd ar-Rahmân ibn abî Bakr as Sojûtî, Sjâfeïta, mortuo A. H. 911. Opus incipit: الحمد لله والشكر له والصلاة الخ, et laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat VI p. 372 seqq. Librarius fuit 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr.

3). Partem libri, cui titulus est: اتحاف المريد h. e. „donum discipulo oblatum", auctore 'Abd as-Salâm ibn Ibrâhîm al-Loqânî, Mâlekîta, mortuo A. H. 1041. Est commentarius ab ipso auctore compositus im poema sum de theologia scolastica, cui titulus est: جوهر التوحيد h. e. „gemma doctrinae de Deo unico." Incipit: الحمد لله الذي رفع لاهل السنّة المحمّديّة الخ, et laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat I p. 150 et II p. 654.

4). Tractatulum de conditionibus itineris sacri (شروط الحجّ), auctore 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr al-Djâwî, qui dicit se hoc opus conscripsisse A. H. 1161.

5). Incerti auctoris tractatulum tribus tantum foliis constantem. Continet divisionem rationis (حكم) in rationem naturalem (عقلي), rationem a majoribus acceptam (عادي) et rationem legalem (شرعي), adjecta varii generis haereseos et infidelitatis expositione.

6). اللولؤ النظيم (1) h. e. „margarita ordine conjuncta," auctore Qâdhî ibn Mohjî az-Zakarjâ al-Ançârî, Sjâfeïta, mortuo A. H. 926. Incipit: الحمد لله الذي شرف من فقه للعلم (2) والعمل الخ, et laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat V p. 345. Varia disciplinarum genera earumque requisita (شروط) auctor docet.

---

(1) Sic in titulo et apud H. Ch.; post doxologiam vero appellatur الدرّ النظيم الخ

(2) L.: cum H. Ch. وفقه بالعلم

7). توضيح h. e. „illustratio", sc. itineris sacri (عمرة, حج), auctore doctissimo Isma'êl al-Maqarrî. Librarius fuit: 'Alî ibn Mohammad Bâsalam al-Hadharî, Sjâfeïta. Anni annotatio deëst. Incipit: الحمد لله الذي جبر بفضله الخ.

8). Ejusdem operis partem alteram. Incipit الحمد لله ربّ العالمين حمدا كثيرا طيّبا الخ. In fine argumenti expositio, metrice redacta, invenitur.

9). Sine titulo opus çûficum, auctore 'Abd al-Wahhâb ibn 'Abd al-Ghanî ibn 'Abd Allâh, qui in tribus capitibus disserit de formula: لا الله الاّ الله, de invocationibus (ذكر), et de officiis discipulorum et magistrorum in re theosophica. Incipit: الحمد لله الذي قرب عباده الخ. Adest nomen librarii 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr, cum anni annotatione 1154 H.

10.) Incerti auctoris carmen de diversitatibus inter sectas Imâmorum asj-Sjâfe'î et Abû Hanîfat. Incipit:

الحمد لله الذي ما جعل من حرج في الدين لكنّ سهّل

Est igitur conceptum metro, quod Arabes „tremens" (الرجز) appellant.

11). Fragmenta et excerpta

(*a*) ex opere celeberrimo, cui titulus est: طبقات الشافعية h. e. „classes Sjâfeïtarum", auctore Qâdhî Tâdj ad-dîn 'Abd al-Wahhâb ibn as-Sobkî, mortuo A. H. 771 (cf. H. Ch. IV p. 139 seqq.).

(*b*) ex opere celeberrimo: منهاج الطالبين h. e. „via studiosorum", auctore Abû Zakarjâ Jahjâ ibn Sjaraf an-Nawawî, mortuo A. H. 676 (cf. H. Ch. VI p. 204 seqq).

(*c*) ex aliis operibus incertorum titulorum et auctorum.

12). Carmen de fundamentis traditionum (اصول الحديث), auctore Abû l-Faradj ibn Faradj al-Isbalî. Incipit:

غرامي صحيح والرجا فيك معضل   وخزني ودمعي مرسل ومسلسل

Est igitur metro „longo" (الطويل) conceptum. Carmen instructum est multis glossis, quum 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr se carminis librarium esse profitetur.

13). Sine titulo librum de fundamentis traditionum, auctore Sjihâb ad-dîn ibn Hadjr al-'Asqalânî, mortuo A. H. 852 [1]. Incipit: الحمد لله الذي لم يزل عالما قديرا الخ.

14). Librum continentem XXVII preces (صلاة) a clarissimis theologis compositas.

(1) Cf. H. Ch. VII pag. 1227 No. 8412.

JURISCONSULTI.

CXXXII. Codex charta orientali, in fol., foll. 236, satis bene exaratus, sed propter multorum punctorum diacriticorum defectum lectu difficillimus, et a tineis paullum perforatus. Continet sjaichi doctissimi 'Adhod ad-dîn ibn 'Abd Allâh ibn 'Abd ar-Rahmân ibn Ahmad al-Îdjî, mortui A. H. 756 (1) commentarium in opus (2) celeberrimum, cui titulus est: (3) منتهي السوءل والامل h. e. „terminus desiderii et spei" de doctrinis principiorum juris et topicae, cujus operis auctor fuit Djamâl ad-dîn abû 'Amr 'Othmân ibn 'Omar cognominatus ibn al-Hâdjib, Mâlekîta, mortuus A. H. 646. Commentarius incipit: الحمد لله الذي براء الانام الخ et tam ex opinione Hâdjdjî Chalîfat, quam secundum annotationem in titulo conscriptus est A. H. 734. Cf. Hâdjdjî Chalîfat VI pag. 170 seqq. Multae glossae marginales in codice adscriptae sunt. Annus tamen, quo exaratus est, desideratur.

CXXXIII. Codex bene exaratus, in fol., foll. 275, charta Javanica, a tineis in marginibus corrosus, attamen sine textus damno. Continet opus celeberrimum, cui titulus est: المحرر h. e. „liber correctus", de articulis juris

(1) In titulo codicis dicitur auctorem obiise A. H. 753, sed Hâdjdjî Chalîfat A. H. 756 habet (Cf. H. Ch. VII p. 1022 no. 773).

(2) Vel potius: in epitomen operis (علي مختصر منتهي السوءل والامل).

(3) H. Ch.: السوءال.

Sjâfeïticis derivatis, auctore Abû l-Qâsim 'Abd al-Karîm ibn Mohammad ar-Râfe'î al-Qazwînî, mortuo A. H. 623. Incipit: سبحانك اللهم وبحمدك (1) واستغفرك الخ, et totam jurisprudentiam comprehendit inde a purificationibus (كتاب الطهارة) usque ad manumissionem servorum (كتاب العتق). Ex annotatione in fine codicis apparet, exemplar nostrum exaratum esse die quinto mensis Djumâdî l-awwal anni Javanici Waw, manu cujusdam Hasan ex urbe Banjûmas (in insula Java). Nonnullis locis glossae marginales et interlineares adjectae sunt, quum etiam in prioribus et in posterioribus foliis variae annotationes leguntur.

Opus laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat V pag. 419, seq.

CXXXIV. Codex spissus charta Belgica, foll. 439, in fol. majori, nitide exaratus et omnibus vocalium signis instructus. Continet epitomen operis praecedentis, cui epitomae titulus est: منهاج الطالبين h. e. „via studiosorum," auctore Imâmo Mohjî ad-dîn Abû Zakarjâ ibn Sjaraf an-Nawawî Sjâfeïta, mortuo A. H. 676. Incipit: الحمد لله البرّ الجواد الذي جلّت نعمه الخ, neque tantum epitome operis ar-Râfe'î est, quin etiam commentarius. Dicit enim auctor (pag. 7) se nullum omnino statutum nullamque diversitatem resecuisse. Laudatur opus apud Hâdjdjî Chalîfat VI pag. 204, seqq.

CXXXV. Codex bene exaratus, charta Indica, in 4°, foll. 168, vocalium signis et versione interlineari Javanica instructus. Continet:

1). التقريب h. e. „institutio propior", commentarium in compendium (مختصر) celeberrimum de regulis juris Sjâfeïticis auctore Ahmad ibn al-Hasan ibn Ahmad al-Iç-

(1) L.: احمدك.

fahânî, vulgò Judice (قاضي) Abû Sjodjâ' appellato, mortuo paullo post A. H. 500 (1). Commentarii auctor est doctissimus Imâmus Sjams al-millat wad-dîn abû 'Abd Allâh Mohammad ibn Qâsim Sjâfeïta, incertae aetatis. Incipit: commentarius: الحمد لله تبركا بالفاتحة (2) الكتاب الخ. Cf. H. Ch. V p. 441.

2). غاية المرام h. e. „summum desiderium," de jure nuptiarum librum, incerti auctoris.

In fine codicis lingua Javanica scriptum est, librarium fuisse quemdam Ismangûn ex oppido Sûkawâtî (in insula Java). In prioribus et in posterioribus foliis quaedam alia adscripta sunt.

CXXXVI. Codex charta orientali, in fol., foll. 225, a tineis perforatus et ob multorum punctorum diacriticorum defectum lectu difficillimus. Continet opus celeberrimum, cui titulus est: الميزان h. e. „bilanx", quodque tradit diversas opiniones sectarum orthodoxarum. Auctor est sjaichus 'Abd al-Wahhâb ibn Ahmad asj-Sja'rânî, mortuus A. H. 976, qui in fine libri dicitur, hoc opus scripsisse in urbe Miçr A. H. 966. Incipit: الحمد لله الذي جعل الشريعة المطهرة الخ, et laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat VI pag. 285.

CXXXVII. Codex charta orientali, in fol., foll. 250, bene exaratus, sed a tineis in marginibus corrosus, quum in posterioribus foliis pars textus, nescio qua de causa, obliterata est. Continet idem opus, quod codex praecedens. Ultimum tamen folium codicis partem alius libri continere videtur.

---

(1) Cf. Catal. Msstorum Or. Acad. Lugd. Bat. IV pag. 112, et opus meum „de contractu البيع jure Mohammedano," pag. 19. Edidit Keyzer opus Abû Sjodjâ'i sub titulo: Précis de la jurisprudence musulmane selon le rite Châfeïte par Abou Chodjâ'. Leide chez E. J. Brill 1859.

(2) L.: بفاتحة.

CXXXVIII *a* et *b*. Codex charta Belgica, in fol., duobus voluminibus (foll. 210 et 189) constans et negligenter currenti calamo exaratus. Continet idem opus, quod duo codices praecedentes. Voluminis primi ultima verba sunt:

فان قال قائل ان رسول الله صلعم والخلفآء الراشدون كانوا
يسلمون اذا صعد احدهم المنبر فالجواب ان سلام الخ۞

Ea verba in medio capitis de precationibus (صلوة) leguntur.

CXXXIX. Codex a tineis perforatus, in fol., foll. 173, charta Indica, majori ex parte vocalium signis et versione interlineari Javanica instructus. Continet incerti auctoris librum de jurisprudentia (علم الفقه), cui titulus est: الايضاح h. e. „expositio", et qui ab ipso auctore in prologo dicitur epitomen esse alius operis, cui: التبصير h. e. „illustratio" titulus est. Incipit: الحمد لله رب العالمين والصلوة والسلام
علي سيدنا محمد النبي وآله الطاهرين الخ۞

In fine quaedam alia lingua Javanica addita sunt.

Anni annotatio in codice deëst, aeque ac librarii nomen; in folio secundo tantum legitur manu Belgica scriptum: A. D. Cornets de Groot 24 Junij 1826.

CXL. Codex spissus, charta Belgica, in fol., foll. 392, versione Javanica perpetua instructus et a tineis praesertim in fine perforatus. Continet sine titulo vel auctoris nomine librum de variis opinionibus sectarum orthodoxnarum (اختلاف المذاهب). Ultima folia deperdita sunt; desinit codex in medio capitis de statuliberis (مكاتب). In primo folio legitur, litteris Javanicis conscriptum, codicem esse e libris Pangêran râdja Keprabon, principis familiae Sultânorum Tjirebonensium, cui Kanoman nomen est. (Cf. Acta societatis Batavae IV pag. 213).

CXLI *a* et *b*. Codex charta orientali, duobus voluminibus spissis constans, foll. 235 et 315, in 8° majori, a tineis perforatus. Multorum foliorum fragmenta tantum

exstant, et in aliis foliis atramentum chartam corrodere coepit. Continet partes III et IV operis celeberrimi, cui titulus est: الروضة في الفروع h. e. „viridarium sc. de articulis juris derivatis", auctore Imâmo Mohjî ad-dîn abû Zakarjâ Jahja ibn Sjaraf an-Nawawî, mortuo A. H. 676. Volumen *a* continet jus nuptiarum et fere omnia, quae jus personarum spectant, sicut alimenta (نفقة) etc. Ultima folia desunt. Volumen *b* continet caput de homicidiis (جنايات) et reliquas partes juris, quae a jurisconsultis Arabicis post hoc caput tractari solent. In fine hujus voluminis legitur codicem esse scriptum A. H. 984. E vetustissimis manuscriptis est, quae societas Batava possidet. Laudatur opus apud H. Ch. III pag. 506 seqq.

CXLII. Codex spissus, charta Belgica, foll. 522, in 4° minori, bene exaratus, vocalium signis et versione Javanica perpetua instructus. Continet partem II operis, cui titulus est رحمة الامة h. e. „misericordia erga populum, auctore sjaicho Çadr ad-dîn abû 'Abd Allâh Mohammad ibn 'Abd ar-Rahmân ad-Damasjqî al-'Othmânî, qui hunc librum scripsit A. H. 780. Pars, quae hoc codice continetur, complectitur capita de venditionibus etc., de hereditatibus et de nuptiis. In titulo legitur codicem e libris esse Sultânî Bantènensis Abû n-Naçr Mohammad 'Ârif Zain al-'Âsjiqîn, qui Sultânus rexit ab A. H. 1160 usque ad A. H. 1182.

Laudatur opus apud Hâdjdjî Chalîfat III pag.351.

CXLIII. Codex charta orientali, foll. 336, in fol. minori, corio rubro ligatus, sed a tineis perforatus. Continet partem II operis, cui titulus est: الغرر البهية h. e. „splendor nitens", auctore Qâdhî Zakarjâ ibn Mohammad al-Ançârî, mortuo A. H. 926. Est commentarius in poema, cui titulus est: البهجة الوردية h. e. „decus roseum" auctore Zain ad-dîn 'Omar ibn Mothaffar ibn al-Wardî, Sjâfeïta,

mortuo A. H. 755, quod poema nihil aliud est nisi compositio metrica operis: الحاوي الصغير h. e. „collectio parva" de articulis juris Sjâfeîticis secundariis, auctore sjaicho Nedjm ad-dîn 'Abd al-Ghaffâr ibn 'Abd al-Karîm al-Qazwînî, mortuo A. H. 665. Codicis primum caput est de venditione (بيع) et ultimum de familia herciscunda (القسم). In titulo legitur codicem dono datum esse eidem Sultano Bantènensi, cujus nomen etiam in codice precedenti invenitur. Cf. Hâdjdjî Chalîfat III, pag. 5 et 9.

CXLIV. Codex charta orientali, in 8°, foll. 252, nitide exaratus sed a tineis corrosus. Desunt folia 118—156 et 167 — 176, cum titulo et cum initio indicis. Continet opus, cui titulus est: تبيين المحارم h. e. „expositio rerum illicitarum", auctore sjaicho Sinân ad-dîn Jôsof al-Amâçî, Hanafîta, mortuo in urbe Mekkat circa A. H. 1000. Incipit: الحمد لله الذي انزل علينا كتابا احكمت آياته الخ. Liber in nonaginta et octo capitibus omnes res tradit, quae in Qorâno prohibentur, et laudatur a H. Ch. II pag. 187. Codex exaratus est A. H. 1194 manu cujusdam Mohammad ibn Moçtafâ.

CXLV. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 82, currenti calamo et negligenter exaratus A. H. 1190, a tineis vero omnino salvus. Continet opus, cui titulus est: بستان العارفين h. e. „hortus sapientium", auctore sjaicho Abû l-Laith Naçr ibn Mohammad ibn Ibrâhîm as-Samarqandî, Hanafîta, mortuo A. H. 375. Liber incipit: الحمد لله رب العالمين والعاقبة للمتقين الخ, et in centum quinquaginta et octo (1) capitibus traditiones et effata (فتوى) sociorum prophetae continet de praeceptis legalibus vitae rationis, de virtutibus, de ethica et de nonnulis juris statutis specialibus, quam ob rem opus etiam libris philosophicis adnumerari posset. Laudatur apud H. Ch. II pag. 51.

(1) H. Ch.: Centum et quinquaginta

In tribus ultimis foliis legitur fragmentum e libro quodam juridico de venditionibus.

CXLVI. Codex charta orientali, in 8°, foll. 157, a tineis perforatus. Continet:

1). Sjaichi Mohammad ibn Mohammad ibn Ahmad Sibt al-Mâridînî commentarium in carmen, compositum metro „trementi" (الرجز), cui titulus est: المقدمة h. e. „prolegomena" de jure hereditatum (علم الفرائض), cujus carminis auctor fuit sjaichus Sjihâb ad-dîn Ahmad ibn Mohammad ibn 'Imâd ad-Miçrî al-Qodsî, mortuo A. H. 887. Cf. Hâdjdjî Chalîfat II pag. 236, et IV pag. 398 seq. et pag. 432. Incipit commentarius. الحمد لله رب العالمين والعاقبة للمتقين الخ. In fine commentarii annotatur, librarium esse 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr Bantènensem supra commemoratum.

2). Glossas (حاشية) in opus sub 1 laudatum, auctore sjaicho Ibrâhîm al-Barmâwî, qui in fine dicitur opus suum perfecisse A. H. 1099. Incipit: الحمد لله الذي منّ علي العلمآء من جزيل فضله الخ.

3). الكافي في علمي العروض والقوافي h. e. „liber sufficiens de doctrinis artis metricae et rythmicae", auctore Abû Zakarjâ Jahjâ ibn 'Alî al-Chatîb at-Tibrîzi, mortuo A. H. 502. Librarius fuit idem 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr Bantènensis. Deëst doxologia; liber statim post Bismillam incipit: اعلم ان العروض ميزان الشعر بها يعرف صحيحه الخ. Laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat V pag. 21.

4). Multas annotationes variorum argumentorum.

CXLVII *a* et *b*. Codex in fol., charta orientali, duobus voluminibus, foll. 127 et 146, constans, a tineis corrosus et glossis nonnullis marginalibus instructus.

Continet incerti auctoris opus, cui titulus est فتح الوهاب h. e. „revelatio largitoris", commentarium in opus quod-

dam de jurisprudentia. In primo volumine desunt titulus et prioria folia; incipit medio in capite de purificationibus (طهارة); sequuntur caput de precationibus (صلوة) et caput de vectigali الزكوة appellato. Nusquam in codice vel anni annotationem vel scriptoris nomen inveni, quum in ultima pagina legitur manu recentiori scriptum بفتح الوهاب الاول. In fine voluminis secundi aeque legitur nomen libri. Hoc volumen continet caput de nuptiis (نكاح), et capita, quae post hoc sequi solent, usque ad caput de servis et de statuliberis. In fine legitur annotatio de variis opinionibus (اختلاف) sectarum (مذهب).

CXLVIII. Codex spissus, charta orientali, in 8°, foll. 357, a tineis perforatus. Primum folium magna parte est deperditum, et ultimum prorsus deëst. Continet primam partem (1) commentarii in opus de jurisprudentia, quod appellater المقدمة h. e. „prolegomena" Imâmi 'Abd Allâh ibn 'Abd ar-Rahmân vulgo Hâdjdjî al-Haçarmî (الحصرمي) dicti. In titulo nomen commentarii errasum est, sed legi potest ejus auctorem fuisse sjaichum Shihâb ad-dîn Ahmad ibn Mohammad ibn Hadjar al-Makkî al-Haithamî, Sjâfeïtam, mortuum A. H. 973 (2). Incipit commentarius: الحمد لله رب العالمين حمدا يوافي نعمة ويكافي الخ et ipsum opus: الحمد لله الذي فرض علينا تعلم شرائع الاسلام الخ

(1) H. e. purificationes usque ad peregrinationem sacram.
(2) Cf. H. Ch. VII, pag. 1225 No. 8357.

LIBRI DE VARIIS DISCIPLINIS.

CXLIX. Codex charta Belgica, in 4°, foll. 83, bene exaratus et a tineis omnino intactus. Continet sjaichi Hosâm ad-dîn Hasan al-Kânî, A. H. 760 mortui, commentarium in opus, cui titulus est ايساغوجي h. e. „isagoge" de logica. Incipit commentarius الحمد لله الواجب وجوده الخ. Opus cum commentario laudatur apud Hâdjdjî Chalîfat I pag. 502 seq.

CL. Codex charta orientali; in 8°, foll. 243, bene exaratus, sed a tineis corrosus. Continet opus, cui titulus est: خريدة العجائب وفريدة الغرائب h. e. „margarita rerum mirabilium et unio rerum memoria dignarum", auctore Zain ad-dîn 'Omar ibn al-Mothaffar ibn al-Wardî, mortuo A. H. 749. Incipit: الحمد لله غافر الذنب وقابل التوب الخ, et zonas urbesque describit. Opus conmemoratur a Hâdjdjî Chalîfat III pag. 132 seq., sed valde vituperatur. In fine legitur codicem exaratum esse A. H. 1080.

CLI. Id. foll. 146. Anni annotatione caret.

CLII. Codex charta Belgica, in 4° minori, foll. 61, nitide, sed ab Arabicae linguae imperito exaratus. Continet commentarium in opus incerti tituli de grammatica, cujus operis auctor est Abû l-Hasan 'Alî ibn Hisjâm al-Kîlânî, Sjâfeïta. In prima pagina legitur commentarii auctorem fuisse 'Abd ar-Râziq ibn Karîm. Librarii nomen est Mohammad 'Azzî, filius Hâdjdjî Jôsof ibn Çâlihîn (صالحين) Sjâfeïta, qui scripsit in urbe Batavia. Anni annotatio deëst, sed constat codicem hujus temporis esse. Incipit post Bismillam: اعلم ايها المتعلم ان التصريف الخ.

CLIII. Codex nitide exaratus, charta orientali, in 4° minori, foll. 46. Est lectu difficillimus, et a tineis paullum perforatus. Adsunt multae glossae. Continet:

1. Incerti auctoris sine titulo tractatum de logica. Incipit post Bismillam: تهذيب المنطق والكلام توشجه بذكر المفصل (1) المنعام الخ

Videtur esse commentarius in aliud opus.

2). Incerti autoris نبذة من الحقائق h. e. „aliquid de veritatibus" sc. philosophiae. Incipit post Bismillam: فوضت امري اليك يامره بيده الفضل الخ. In fine legitur tractatulum scriptum esse in urbe Qostantînat anno 1640. Sine tamen dubio error est pro 1064 sicut in No. 3.

3). Incerti auctoris: رسالة المعمولة في الاصطرلاب h. e. „tractatus de usu astrolabii". Incipit post Bismillam: واما بعد الحمد لوليه والصلاة علي نبيه الخ. In fine legitur A. H. 1064.

CLIV. Codex a tineis perforatus, charta orientali, in 8°, foll. 17. Continet sjaichi Mohammad Sjams ad-dîn Sibt al-Mâridînî opus, cui titulus est: دقائق الحقائق h. e. „subtilitates veritatum" sc. de gradibus et de scripulis computandis. Est epitome libri كشف الحقائق h. e. „detectio veritatum" appellati, cujus auctor est Shihâb ad-dîn Ahmad ibn al-Madjdî mortuo A. H. 850. Incipit epitome الحمد لله حمد الشاكرين, et divisa est in prologum (مقدمة) decem capita et epilogum (خاتمة). Cf. H. Ch. III pag. 233 et V pag. 205 seq.

CLV. Codex a tineis corrosus, charta orientali, foll. 18, in 4° minori, exaratus manu 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr Bantènensis A. H. 1158. Continet:

1). Incerti auctoris tractatum de usu quadrantis, divisum in prologum, viginti capita et epilogum. In titu-

(1) L.: المفضل.

lo tractatus appellatur الفتحية. Adsunt multae glossae marginales.

2). Sine titulo tractatum de usu quadrantis in computandis diebus et noctibus. Divisus est in prologum, XVII capita et epilogum.

CLVI. Codex charta Belgica, foll. 238, in 4°, bene exaratus. Continet:

1). Varias annotationes.

2). Sine titulo vel auctoris nomine tractatum de computandis stellis, quae in hieme, in autumno, in aestate et in vere apparent.

3). Idem de ascensione stellarum et zodiaci signorum.

4). Idem de hominibus sanctis, qui viventes paradisum viderunt.

5). Excerpta ex opere cujusdam sjaichi Abû l–Fardj al-Içfahânî, de Alexandro Magno deque aliis viris illustribus.

6). Varias annotationes.

7). Incantamenta (عزيمة) praesertim ad fures in carcerem conjiciendos eosque obstupefaciendos, ad servos fugitivos capiendos, ad dolorem cordis medicandum, etc. Sequuntur quaedam de usu magico litterarum et versuum Qorâni, etc.

8). Excerptum e libro المقالات h. e. „dissertationes" de medicina, incerti auctoris.

9). Incerti auctoris sine titulo caput (فصل) de saxis eorumque notitia et usu.

10). Tabulas magicas.

11). [1] الرسالة الشطارية, tractatum continentem expositionem arcanorum cultus unius Dei. Est opus çûficum auctore Bahâ ad-dîn ibn Ibrâhîm 'Ata al-Ançârî al-Qâdirî. Incipit الحمد لله علي كل حال الخ, et versione Javanica

(1) De vocabulo الشطارية dubito; idem verbum occurrit in versione Javanica.

perpetua vocaliumque signis est instructum. Divisum est in quatuor capita, quorum argumenta ab auctore exponuntur: الفصل الاول في كيفية السلوك الفصل الثاني في بيان شروط الذكر واسناد الذكر وكيفية ادآء الذكر بانواع مختلفة الفصل الثالث في ذكر كلمات في المراقبة وتسميتها وكشف بعض الانوار والاسرار التي تظهر للذاكر حالة الذكر الفصل الرابع في بيان اذكار متفرقة من العربية والفرسية۞

12). Incerti auctoris tractatum de grammatica. Titulus deëst, sed incipit: الحمد لله رب العالمين وعاقبة للمستقين الخ Anni annotationem vel librarii nomen in codice non inveni.

CLVII. Codex charta Belgica, in fol., foll. 190. Continet sjaichi Sjams ad-dîn Mohammad ibn abî Bakr ad-Damâmînî, mortui A. H. 828, epitomen libri celeberrimi, cui titulus est: حيوة الحيوان h. e. „vita animalium", auctore Kamâl ad-dîn Mohammad ibn ʿÎsâ ad-Damîrî Sjâfeïta, mortuo A. H. 808. Opus divisum est in duas partes, quarum prima complectitur animalia, quorum nomina a litteris ا usque ad ش incipiunt, et secunda pars reliqua. Incipit: الحمد لله الذي اوجد (1) بفضله حيوة الحيوان الخ, non vero historiam naturalem tradit eo modo, quo nostris temporibus in usu est, sed magis allegat traditiones prophetae, statuta legalia, dicta et versus de animalibus, nec non proprietates mirabiles et arcana diversorum animalium generum. Laudatur a Hâdjdjî Chalîfat III pag. 122 seqq. Anni annotatione codex caret. In nonullis foliis adsunt glossae.

CLVIII. Codex prima parte charta Belgica, secunda parte charta orientali conscriptus. Continet idem opus, quod

(1) Loco horum quatuor priorum vocabulorum in codice spatium vacuum invenitur, sed ea restitui ex Hadjdjî Chalîfat.

codex praecedens. Adsunt hîc illic glossae marginales, et in prima parte multa folia, atramento corrosa, legi nequeunt. In fine adnotatur codicem exaratum esse A. H. 970, qui tamen annus ad secundam tantum partem pertinere mihi videtur; prima enim pars manifeste recentiori manu adjecta est. Numerus foliorum est 237. Est codex in fol., a tineis corrosus sine tamen textus damno.

CLIX. Codex charta orientali, in 4°, foll. 218, satis negligenter, currenti calamo, exaratus et a tineis corrosus. Continet:

1). Incerti auctoris sine titulo tractatum de usu magico litterarum et numerorum.

2). Carmen de eadem scientia, conceptum metro quod „tremens" (الرجز) dicitur, auctore Sjihâb ad-dîn Ahmad ibn asj-Sjaich Mohammad al-Moqarrî at-Tlemsânî. Incipit:

احمد من وفقنا وافهما ما لم نكن نعلمه والهما

In fine legitur A. H. 1146.

3). Excerptum e libro, cui titulus est: الخاتم h. e. „annulus signatorius", auctore sjaicho Abû Hâmid Mohammad ibn Mohammad al-Ghazzâlî, mortuo A. H. 505. De usu litterarum mystico et magico agit. Opus laudatur a Hâdjdjî Chalîfat III pag. 127.

4). Varias annotationes.

5). Sine titulo tractatum de algebra, auctore Mohammad ibn Mohammad Sibt al-Mâridînî, supra memorato. Incipit: الحمد لله الذي احصى كل الاشيآء الخ.

6). Tractatum de mensuris et ponderibus, sine titulo, auctore 'Abd Allâh ibn 'Omar. Incipit: الحمد لله المتفضل الوهاب الخ

7). Sine titulo vel auctoris nomine tractatum de astronomia. Incipit statim post Bismillam: فصل في ذكر البروج وهي اثني عشر برجا الخ

8). Tractatum de arte magica, quae علم الرمل appellatur, sine titulo, auctore discipulo quodam sjaichi Naçîr ad-dîn Mohammad ibn Mohammad at-Tûsî, mortui A. H. 672 (1). Incipit: الحمد لله الكبير المتعال المبدع الفعال الخ: post doxologiam legitur: اما بعد فاني وفقت على الرسالة التي انشاها الشيخ الامام نصير الدين محمد بن الخ

9). Incerti auctoris sine titulo tractatum de eadem arte. Incipit post Bismillam: هذا اجمعه لنفسه العبد الفقير الي الله تعالي الخ

10). Incerti auctoris carmen de logica, conceptum metro „trementi" (الرجز) Incipit:

الحمد لله الذي قد اخرجا نتائج الفكر لارباب الحجا

11). idem metro „veloci" (السريع) de grammatica (مخارج حروف الصّفات), auctore Mohammad ibn al-Djazirî Sjâfeïta. Incipit:

اَلحَمْدُ لِلّهِ وَصَلَّي اَللّهُ عَلَي نَبِيّهِ ومُصْطَفَاه

et vocalium signis est munitum.

12). Sjaichi 'Abd ar-Rahmân al-Chaidharî (الخيضري) commentarium in poema sub 10 laudatum, cui in hoc opere dicitur titulus esse السلم. Incipit: الحمد لله الذي جعل قلوب العلمآء الخ. In fine legitur librarii nomen Ahmad ibn Mohammad al-Bûlâqî, cum anni annotatione 164, quae tamen sine dubio errosa est.

13). Incerti tituli librum de grammatica, auctore sjaicho Djamâl ad-dîn ibn 'Amr 'Othman ibn abî Bakr, vulgo ibn al-Hâdjib appellato et A. H. 646 mortuo (cf. Hâdjdjî Chalîfat VII pag. 1113 no. 4270). In prima pagina legitur: كتاب الحاجبية تاليف الشيخ الامام العلامة جمال الدين الخ,

(1) Cf. Hâdjdjî Chalîfat VII pag. 1182 No. 6800.

et incipit opus post Bismillam: الكلمة لفظ وضع لمعني مفرد الخ. Librarius fuit 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr al-Djâwî, supra memoratus. Adsunt multae glossae marginales.

14). Variorum librorum excerpta.

15). وسيلة الطلاب h. e. „praesidium studiosorum", librum de computandis noctibus, mensibus, lunae stationibus, etc., auctore sjaicho Abû 'Abd Allâh Jahjâ ibn Mohammad ibn Mohammad. al-Ḥaṭṭâb. Incipit: الحمد لله الذي جعل الليل لباسا والنهار نشورا الخ. Multis glossis est munitus, quarum in una legitur codicem e libris esse 'Abd Allâh ibn 'Abd al-Qahhâr al-Djâwî, Anni annotatio deëst.

INDEX TITULORUM.

ا

ب

ت

ز

س

ش

ص

ض

ط

ع

غ

ف

ق

ك

ل

م

ن

و

INDEX NOMINUM.

A.

D.

F.

H.

I.

J.

K.

M.

N.

O.

R.

S.

T.

W.

Z.